

# IN EPIPHANIA DOMINI.

*Statio ad sanctum Petrum.*

Introitus.



Cce aduénit Domi-  
nátor Dóminus: & re-  
gnum in manu eius,  
& potéſtas, & impé-  
rium. Psalm. Deus  
iudícium tuum Regi-  
da: & iustíam tuam Fílio Regis.  
v. Glória Patri. Oratio.

**D**eus, qui hodiérrna die Vni-  
génitum tuum Géntibus  
stella duce reuelásti: concéde pro-  
pítius; vt, qui iam te ex fide cog-  
nouimus, vſque ad contemplán-  
dam spéciem tuæ celsitúdinis per-  
ducámur. Per eúmdem Dñm.

Léctio Isaiae Prophétæ.

**S**Urge, illuminâre Ierúsalem:  
quia venit lumen tuum; &  
glória Dómini super te orta est.  
Quia ecce ténébræ opérinent ter-  
ram, & caligo pôpulos: super te  
autem oriétur Dóminus, & glória  
eius in te vidébitur. Et ambulá-  
bunt Gentes in lúmine tuo, & re-  
ges in splendôre ortus tui. Leua in  
circúitu óculos tuos, & vide: om-  
nes isti congregáti sunt, venérunt  
tibi: filij tui de longè vénient, &  
filiæ tuæ de látere surgent. Tunc  
vidébis, & afflues, & mirábitur &  
dilatábitur cor tuum, quando con-  
uérsa fuerit ad te multitudo ma-  
ris, fortitûdo Géntium vénérít ti-  
bi. Inundátio camelôrum opériet

te, dromedárij Mádian & Ephá:  
omnes de Saba vénient, aurum &  
thus deferéntes, & laudem Dó-  
mino annuntiántes.

Graduale. O mnes de Saba vén-  
ient, aurum & thus deferéntes, & lau-  
dem Dómino annuntiántes. v. Surge,  
& illuminâre Ierúsalem: quia gló-  
ria Dómini super te orta est. Alleluia,  
allelúia. v. Vídimus stellam eius in  
Oriente: & vénimus cum munéribus  
adorâre Dóminum. Alleluia.

Sequéntia sancti Euangélij  
secúndum Matthæum.

**C**Vm natus esset Iesu in  
Béthlehem Iuda in diébus  
Herôdis regis, ecce Magi ab Oriénte  
venérunt Ierosólymam, di-  
céntes: Vbi est qui natus est Rex  
Iudæorum? vídimus enim stel-  
lam eius in Oriente, & vénimus  
adorâre eum. Audiens autem He-  
ródes rex, turbátus est, & omnis  
Ierosólyma cum illo. Et cōgrega-  
gens omnes príncipes sacerdôt-  
um, & Scribas pôpuli, sciscita-  
batur ab eis vbi Christus nasceré-  
tur. At illi dixerunt ei: In Béthle-  
hem Iudæ. Sic enim scriptum est  
per Prophétam: Et tu Béthlehem  
terra Iuda, nequâquam mímina  
es in principiis Iuda: ex te enim  
éxict dux, qui regat pôpulum  
meum Israël. Tunc Heródes,  
clâm vocátis Magis, diligenter  
dídicit ab eis tempus stellæ, quæ

appa-

appáruit eis: & mittens illos in Béthlehem, dixit: Ite, & interro-gâte diligénter de púero: & cùm inuenératis, renuntiáte mihi, vt & ego véniens adôrem eum. Qui cùm audíssent regem, abiérunt. Et ecce stella, quam viderant in Oriénte, antecedébat eos, vsque dum véniens staret supra ubi erat puer. Vidéntes autem stellam gauisi sunt gáudio magno valdè. Et intrántes domum, inuenérunt púerum cum María matre eius, \* & procidéntes, adorauérunt eum. Et apértae thesauris suis ob tulérunt ei múnera, aurum, thus, & myrrham. Et respónso accépto in somnis ne redírent ad Heródem, per áliam viam reuérsti sunt in régionem suam. Credo.

Offertorium. Reges Tharsis & insulae múnera ófferent: reges Arabum & Saba dona addúcent: & adorábunt eum omnes reges terræ, omnes Gentes seruient ei.

Secreta.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus Dómine, dona propitius intuere: quibus non iam aurum, thus, & myrrha profertur; sed quod eisdem munéribus declarâtur, immolátur & sumitut, Iesu Christus Filius tuus Dóminus noster. Qui tecum yuit.

Præfatio. Quia cùm Vnigénitus tuus. Et infra actionem. Communi-cantes, & diem sacratissimum, &c. vt in Præfationibus. Et dicuntur per totam Octauam.

Communio. Vñimus stellam eius in Oriénte: & vénimus cum munéribus adorare Dóminum.

Postcommunio.

P Ræsta quæsumus omnípo-tens Deus: vt quæ solémni ce-lebrâmus offício, purificátæ mentis intelligéntia consequâmur. Per Dóminum nostrum.

Infra Octauam Epiphaniæ fit idem Officium, quod in die: & post Orationem diei dicuntur O-rationes. Deus, qui salútis æternæ. & Ecclesiæ tuæ. vel pro Papa. Deus omnium fidélium. vt suprà in Do-minica secunda post Epiphaniam. fol. 52.

De festis Duplicibus, & Sèmi-duplicibus, quæ infra Octauam veniunt, nihil tunc agitur ( nisi tantum de Patrono vel Titulari Ecclesiæ, & de Dedicatione eiusdem, in propria Ecclesia, non ta-men in die Octaua) sed peracta Octaua celebrantur: de Simplici-bus verò fit tantum commemor.

In Dominica infra Octauam Missa dicitur vt infrà. Quod si Epiphania venerit in Dominica, ipsa Missa Dominicæ dicitur in Sabbato infra Octauam; & in die Octaua nihil fit de Dominicâ.

## D O M I N I C A

infra Octauam Epiphaniæ.

Introitus.



N excélo throno vidi se-dere virum, quem adôrat multitudo Angelorum psalléntes in vnum: ecce cuius impérij nomen est in æternum. Psalmus. Iubilâte Deo omnis terra: seruîte Dómino in lætitia. y. Glória Patri.

Oratio.

## Oratio.

**V**ota, quæsumus Dómine,  
supplicántis pópuli cælestí  
pietate proséquere: vt, & quæ  
agénda sunt, vídeant; & ad im-  
plénda quæ viderint, conualé-  
scant. Per Dóminum nostrum.

Et fit commemoratio de Octaua  
Epiphaniæ. Oratio.

**D**eus, qui hodiérna dñe Vnigé-  
nitum tuum Géntibus stel-  
la duce reuelásti: concéde propi-  
tius; vt qui iam te ex fide cognó-  
uimus, vsque ad contemplándam  
spéciem tuæ celstúdinis perducâ-  
mur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ bеati Pauli  
Apóstoli ad Romános.

**F**ratres, Obscro vos per misericordiam Dei, vt exhibeáti  
córpora vestra hóstiam viuéntem,  
sanctam, Deo placéntem, ratio-  
nábile obséquium vestrum. Et no-  
lítē conformári huic sǽculo, sed  
reformámini in nouitâte sensus  
vestri: vt probétis quæ sit volún-  
tas Dei bona, & benéplacens, &  
perfécta. Dico enim per grátiā  
quæ data est mihi, ómnibus qui  
sunt inter vos: Non plus sapere,  
quàm opórtet sapere, sed sapere  
ad sobrietâtem: & vnicuique sic-  
ut Deus diuísit mensuram fidei.  
Sicut enim in vno corpore multa  
membra habémus, ómnia autem  
membra non eúmdem actum  
habent: ita multi vnum corpus  
sumus in Christo, singuli autem  
alter altérius membra: in Christo  
Iesu Dómino nostro.

Graduale. Benedictus Dóminus

Deus Israél, qui facit mirabília magna  
solus à sǽculo. ¶ Suscipient montes  
pacem pópulo tuo: & colles iustitiam.  
Alleluia, alleluia. ¶ Iubilâte Deo om-  
nis terra: seruít Dño in lætitia. Alleluia.

S equentia sancti Euangeli  
secundùm Lucam.

**C**Vm factus esset Iesus annô-  
rum duódecim, ascendénti-  
bus illis Ierosólymam secundùm  
consuetudinem diéi festi, consum-  
matisque diébus, cùm redirent, remánsit puer Iesus in Ierúsalem, &  
non cognouérunt paréntes eius. Existimantes autem illum esse in  
comitátu, venerunt iter diéi, & requirébant eum inter cognátos, &  
notos. Et non inuénientes, regréssi sunt in Ierúsalem, requiréntes  
eum. Et factum est, post triduum  
inuenérunt illum in templo se-  
déntem in médio doctòrum, audiéntem illos, & interrogántem  
eos. Stupébant autem omnes, qui  
eum audiébant, super prudéntia  
& respónsis eius. Et vidéntes ad-  
miráti sunt. Et dixit mater eius ad  
illum: Fili, quid fecísti nobis sic?  
ecce pater tuus & ego doléntes  
quærebámus te. Et ait ad illos:  
Quid est quòd me quærebâtis?  
nesciebâtis, quia in his, quæ Pat-  
ris mei sunt, opórtet me esse?  
Et ipsi non intellexérunt verbum,  
quod locútus est ad eos. Et de-  
scéndit cum eis, & venit Názareth:  
& erat subditus illis. Et ma-  
ter eius conseruâbat ómnia verba  
hæc in corde suo. Et Iesus profi-  
ciébat sapiéntia, & ætate, & grátiâ  
apud Deum & hómines. Credo.

*p. 51.  
99.*  
Offertorium. Iubilâte Deo omnis terra, seruîte Dómino in lætitia: intrâte in conspéctu eius in exultatione, quia Dóminus ipse est Deus. Secreta.

**O** Blâtum tibi Dómine sacrificium viuifacet nos semper, & muniat. Per Dóminum.

De Epiphania. Secreta.

**E** Cclésiae tuæ, quæsumus Dómine, dona propítius intuere: quibus non iam aurum, thus, & myrra profertur; sed quod eisdem munéribus declaratur, immolatur & sumitur, Iesus Christus Filius tuus Dóminus noster. Qui tecum viuit.

Communio. Fili, quid fecisti nobis sic? ego & pater tuus dolentes quærebâmus te. Et quid est quod me quærebâtis? nesciebâtis, quia in his, quæ Patris mei sunt, opôrtet me esse?

Postcommunio.

**S**Vpplices te rogâmus, omnípotens Deus: vt quos tuis réficiis sacraméntis, tibi étiam plâcitis móribus dignânter deseruîre concédas. Per Dóminum.

De Epiphania. Postcommunio.

**P**Ræsta quæsumus omnípotens Deus: vt quæ solémni celebrâmus officio, purificâtæ mentis intelligéntia consequâmur. Per Dóminum nostrum.

## IN OCTAVA

Epiphaniæ. Introitus.

**E**cce aduénit Dominâtor Dóminus: & regnum in manu eius, & potestas, & impérium. Psalm. Deus iudicium tuum Regi da: & iustitiam

tuam Fílio Regis. **y.** Glória Patri. Oratio.

**D**eus, cuius Vnigénitus in substântia nostræ carnis appâruit: præsta quæsumus; vt per eum, quem símilem nobis foris agnouimus, intus reformâri mereâmur Qui tecum viuit & regnat.

Lécio Isaïæ Prophétæ.

**S**Urge, illuminâre Ierúsalem: quia venit lumen tuum; & glória Dómini super te orta est. Quia ecce ténebræ opérunt terram, & caligo pôpulos: super te autem oriétur Dóminus, & glória eius in te vidébitur. Et ambulâbunt Gentes in lúmine tuo, & reges in splendôre ortus tui. Leua in circuîtu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venérunt tibi: filij tui de longe vénient, & filiæ tuæ de latere surgent. Tunc vidêbis, & afflues, mirábitur & dilatâbitur cor tuum, quando conuéra fuerit ad te multitûdo maris, fortitûdo Géntium vénérat tibi. Inundatio camelórum opérerat te, dromedárij Mâdian & Ephâ: omnes de Saba vénient, aurum & thus deferéntes, & laudem Dómino annuntiântes.

Graduale. O mnes de Saba vénient, aurum & thus deferéntes, & laudem Dómino annuntiântes. **y.** Surge, & illuminâre Ierúsalem: quia glória Dómini super te orta est. A llélúia, allelúia. **y.** Vídimus stellam eius in Oriente: & vénimus cum munéribus adorâré Dóminum. Allelúia.

Sequen-

*Ivan.  
1. d.*  
S equentia sancti Euangeliij secundum Ioannem.

**I**N illo tempore: Vedit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat. Et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans. Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi Spiritum descendenter quasi columbam de cælo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendenter, & manenter super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi: & testimonium perhibui quia hic est Filius Dei. Credo.

*P. ful.  
7.1.* Offertorium. Reges Tharsis & insulae munera offerent: reges Arabum & Saba dona adducunt: & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes Gentes seruent ei.

Secreta.

**H**ostias tibi, Domine, pro nationi Filii tui apparitione deferimus: suppliciter exorantes; ut sicut ipse nostrorum auctor est munerum, ita sit ipse misericors & suscepator, Iesus Christus Dominus noster. Qui tecum viuit.

Communio. Videlicet stellam eius in Oriente: & venimus cum muneribus adorare Dominum.

Postcommunio.

**C**ælesti lumine, quæsumus Domine, semper & ubique

nos præueni: ut mysterium, cuius nos particeps esse voluisti, & propero cernamus intuitu, & digno percipiamus affectu. Per Dominum nostrum.

**C** Ab Octaua Epiphaniæ usque ad Purificationem, nisi fuerit Duplex, post Orationem diei dicuntur istæ Orationes. Deus, qui salutis æternæ. & Ecclesiæ tuæ, vel Deus omnium fidelium. ut infra in Dominica secunda post Epiphaniæ. 52.

**C** Si tempus breue fuerit ab Octaua Epiphaniæ usque ad Septuagesimam, ita ut officia sequentium Dominicarum non possint expleri suis diebus, Officia illarum quæ supersunt post Dominicam iij. post Epiphaniam, eo anno omittuntur, & resumuntur (quo ad Orationem, Epistolam, & Euangelium dumtaxat) post Dominicam xxij. post Pentecosten, ut ibi dicitur in Rubrica.

**C** Si Dominica Septuagesimæ venerit sequenti Dominica post Octauam Epiphaniæ, in praecedenti Sabbato, si non est impeditum Festo Semiduplici, dicitur Missa de Dominica iij. post Epiphaniam, cum commemoratione Festi Simplicis, si in eo occurrat. Si vero Sabbatum fuerit impeditum Festo Semiduplici, tunc prima die post Octauam Epiphaniæ, in qua non sit Festum Duplex, dicitur Missa de iij. Dominica, & Festum Semiduplicem in ea occurrentem transfertur in primam diem similiter non impeditam.

## DOMINICA II.

post Epiphaniam. Introitus:



Mnis terra adôret te, Deus,  
& psállat tibi: psalmum  
dicat nómini tuo Altíssi-  
me. Psalm. I ubilâte Deo

omnis terra , psalmum dícite nómini  
eius: date glóriam laudi cius. **y.** Gló-  
ria Patri. Dicitur, G lória in excélsis,  
in Dominicis vsque ad Septuage-  
simam exclusiue: in Ferialibus ve-  
rò diebus, quando resumitur Mis-  
sa de Dominicá præcedenti, non  
dicitur. Quod seruatur & post  
Pentecosten. Oratio.

**O** Mnípotés sempitérne Deus,  
qui cælestia simul & terré-  
na moderáris: supplicationes pô-  
puli tui cleménter exáudi , & pa-  
cem tuam nostris concéde tem-  
póribus. Per Dóminum.

De sancta Maria. Oratio.

**D**eus, qui salútis ætérnæ, beá-  
tæ Maríæ virginítate fecún-  
da, humáno géneri præmia præ-  
stítisti: tríbue quæsumus; vt ipsam  
pro nobis intercédere sentiâmus,  
per quam merúimus auctórem vi-  
tæ suscipere, Dóminum nostrum  
Iesum Christum Fílium tuum.

Contra persecutores Ecclesiae.

Oratio.

**E**cclésiæ tuæ, quæsumus Dó-  
mine, préces placátus admít-  
te: vt, destrúctis aduersitatibus &  
erróribus vniuérsis, secúra tibi sér-  
uiat libertâtē. Per Dóminum.

Vel pro Papa. Oratio.

**D**eus ómnium fidélium Pa-  
stor & rector , famulum  
tuum N. quem pastórem Ecclé-

siax tuæ præesse voluísti, propítius  
réspice: da ei, quæsumus, verbo &  
exémplo, quibus præst, proficere;  
vt ad vitam, vna cum grege sibi  
crédito , perueriat sempitérnam.  
Per Dóminum nostrum.

L éctio Epístolæ beati Pauli  
Apóstoli ad Romáos.

**F**Ratres, Habéentes donatió-  
nes secúndùm grátiam, quæ  
data est nobis , differéntes: siue  
prophetiam secúndùm ratióinem  
fidei, siue ministérium in mini-  
strando , siue qui docet in doctri-  
na, qui exhortátur in exhortán-  
do , qui tríbuit in simplicitâte,  
qui præst in solicitudine, qui mi-  
serétrit in hilaritatē. Diléctio sine  
simulatione. Odiéntes malum,  
adhæréntes bono: Charitâte fra-  
ternitatis ínuicem diligéntes: Ho-  
nôre ínuicem præuenientes: Soli-  
citudine non pigri : Spíritu fer-  
uéntes: Dómino seruéntes: Spe  
gaudentes: In tribulatiōne patién-  
tes : Oratiōni instántes: Necessi-  
tatibus sanctórum communicán-  
tes: Hospitalitatēm sectántes. Be-  
nedícite persequéntibus vos : bé-  
nedícite, & nolite maledícere.  
Gaudere cum gaudéntibus, flere  
cum fléntibus : Idípsum ínuicem  
sentiéntes: Non alta sapiéntes, sed  
humílibus consentiéntes.

Graduale. M isit Dóminus verbum  
suum, & sanâuit eos: & erípuit eos de  
intéritu eórum. **y.** Confiteántur Dño  
misericordiæ eius : & mirabilia eius fi-  
lliis hóminū. A lleluia, alleluia. **y.** Lau-  
dáte Dñm omnes Angeli eius, laudáte  
eum omnes virtutes eius. Alleluia.

Rem.  
12.6Psal.  
106.Psal.  
148.

Sic

**S**ic dicitur Alleluia, cum Versu post Graduale, ab Octaua Epiphaniæ usque ad Septuag. & ab Octaua Pentecostes usque ad Aduentum, etiam infra Hebdom. quando resumitur Missa de Dominica.

**S**equentia sancti Euangelijs secundum Ioannem.

**I**n illo tempore: Nuptiae factæ sunt in Cana Galilææ: & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius, ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Iesus: Quid mihi, & tibi est mulier? nondum venit hora mea. Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metrétas binas vel ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas usque ad summum. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulérunt. Ut autem gustauit architriclinus aquam vinum factam, & non sciébat unde esset, ministri autem sciébant, qui hauerant aquam: vocat sponsum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est: Tu autem seruasti bonum vinum usque adhuc. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ: & manifestauit gloriam suam, & credidérunt in eum discipuli eius. Credo.

Offertorium. Iubilâte Deo universa terra: psalmum dicite nomini eius, venite, & audite, & narrabo vobis, omnes qui timetis Deum, quanta fecit Dominus animæ meæ, alleluia.

Secreta.

**O** Blata Domine munera sanctifica: nosque à peccatorum nostrorum maculis emunda. Per Dominum nostrum.

De sancta Maria. Secreta.

**M** Vneribus nostris, quæsumus Domine, precibusque suscepisti: & cœlestibus nos munda mysteriis, & clementer exaudi.

Contra persecutores Ecclesiæ. Secreta.

**P** Rotege nos Domine tuis mystériis seruientes: ut diuinis rebus inhærentes, & corpore tibi famulēmur, & mente. Per Dominum.

Vel pro Papa. Secreta.

**O** Blatis, quæsumus Domine, placare muneribus: & famulum tuum N. quem pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, assida protectione guberne. Per Dominum nostrum.

Communio. Dicit Dominus, Implete hydrias aqua, & ferte architriclino: cum gustasset architriclinus aquam vinum factam, dicit sponso: Seruasti bonum vinum usque adhuc: hoc signum fecit Iesus primum coram discipulis suis. Postcommunio.

**A** Vgeatur in nobis, quæsumus Domine, tuæ virtutis operatio: ut diuinis vegetati sacramentis, ad eorum promissa capienda, tuo munere præparémur. Per Dominum nostrum.

De S. Maria. Postcommunio.

**H**æc nos communio, Dómine, purget à crímine: & intercedente beata vírgine Dei genitrix María, cælestis remédijs faciat esse consortes.

Contra persecutores Ecclesiæ.

Postcommunio.

**Q**uæsumus Dómine Deus noster: vt quos diuina trubus participatiōne gaudere, humánis non finas subiacere periculis. Per Dóminum nostrum.

Vel pro Papa. Postcommunio.

**H**æc nos, quæsumus Dómine, diuini sacramenti percéptio pròtegat: & famulum tuum N. quem pastorem Ecclésiæ tuæ præesse voluisti, vna cum commissio sibi grege, saluet semper, & muniat. Per Dóminum.

### DOMINICA III.

Post Epiphaniam. Introitus.

 Doráte Deum omnes Angeli eius: audíuit, & latetā est Sion: & exultauérunt filia Iudæ. Psalm. Dóminus regnauit, exultet terra: latentur insulæ multæ. ḡ. Glória Patri.

Oratio.

**O**Mnipotēs sempiterne Deus, infirmitatē nostrā propitijs respice: atque ad protegendum nos, dexteram tuæ maiestatis extende. Per Dóminum.

De sancta Maria. Oratio.

**D**EUS, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitatē fecunda, humano generi præmia præstisti: tribue quæsumus; vt ipsam

pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctōrem vitæ suscipere, Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum.

Pro Papa. Oratio.

**D**eus omnium fidélium Pastor & rector, famulum tuum N. quem pastorem Ecclésiæ tuæ præesse voluisti, propitijs respice: da ei, quæsumus, verbo & exēmplo, quibus præest, proficere; vt ad vitam, vna cum grege sibi crèdito, perueniat sempiternam. Per Dóminum nostrum.

Vel contra persecutores Ecclesiæ. Oratio. Ecclésiæ tuæ, quæsumus Dñe. vt in Dominica precedenti. fol. 52.

Léctio Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Romános.

**F**ratres, Nolite esse prudéntes apud vosmetipſos: Nulli malum pro malo reddéntes: prudéntes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habéntes: Non vosmetipſos defendéntes chariflimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindicta; ego retríbuam, dicit Dóminus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Noli vinci a malo. sed vince in bono malum.

Graduale. Timébunt Gentes nomen tuum Dómine, & omnes reges terræ gloriā tuam. ḡ. Quóniam ædificabit Dóminus Sion, & vidébitur in maiestate sua. Alleluia, alleluia.

ḡ. Dó-

*Psal.*  
96.  
*Mas.*  
8.

**V.** Dóminus regnáuit , exultet terra:  
laténtur ínsulæ multæ. Alleluia.

S equéntia sancti Euangélij  
secundum Matthæum.

**I**n illo tempore: Cùm descendisset Iesus de monte , secutæ sunt eum turbæ multæ : & ecce leprōsus véniens , adorabat eum , dicens : Dómine , si vis , potes me mundare. Et exténdens Iesus manum téigit eum , dicens : Volo. Mundare. Et conféstim mundata est lépra eius. Et ait illi Iesus: Vide , némini díxeris : sed vade , osténde te sacerdóti , & offer munus , quod præcēpit Móyses , in testimónium illis. Cùm autem introíset Caphárnaum , accéssit ad eum Centúrio , rogans eum , & dicens: Dómine , puer meus iacet in domo paralyticus , & malè torquétur. Et ait illi Iesus : Ego véniam , & curábo eum. Et respónsens Centúrio , ait: Dómine , non sum dignus vt intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo , & sanábitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestâte consti-tūtus , habens sub me mīlites , & dico huic: Vade , & vadit: & alij , Veni , & venit: & seruo meo ; Fac hoc , & facit. Audiens autem Iesus , mirátus est , & sequéntibus se dixit : Amen dico vobis , non inueni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis , quod multi ab Oriénte & Occidénte vénient , & recúmbent cum Abraham , & Isaac , & Iacob in regno cælōrum : filii autem regni eiiciéntur in ténebras exteriores: ibi erit fle-

tus , & stridor déntium. Et dixit Iesus Centurió: Vade , & sicut credidisti , fiat tibi. Et sanátus est puer in illa hora. Credo.

*Psal.*  
117.

**O**ffertorium. D extera Dómini fecit virtutem , dextera Dómini exaltáuit me : non móriar , sed viuam , & narrábo ópera Dómini. Secreta.

**H**æc hóstia , Dómine quæsumus , emündet nostra delícta : & ad sacrificium celebrandum , subditórum tibi corpora mentésque sanctificet. Per Dñm.

De sancta Maria. Secreta.

**M**vnéribus nostris , quæsumus Dómine , precibúsque suscéptis ; & cælestibus nos munda mystériis , & cleménter exaudi.

Pro Papa. Secreta.

**O**blatis , quæsumus Dómine , placare munéribus: & famulum tuum N. quem pastòrem Ecclésiæ tuæ præsle voluísti , assídua protectiōne guberна. Per Dóminum nostrum.

Vel contra persecutores Ecclesiæ , Secreta. Prótege nos Dómine. vt in Dominica præterita. fol. 53.

*Lucia*  
4.

**C**ommunio. Mirabántur omnes de his , quæ procedébant de ore Dei.

Postcommunio.

**Q**uod tantis , Dómine , largîris vti mystériis: quæsumus , vt effectibus nos eorum veráriter aptare dignéris. Per Dóminum.

De S. Maria. Postcommunio.

**H**æc nos commúnio , Dómine , purget à crímine: & intercedente beáta vírgine Dei genitrice María , cælestis remédij faciat esse confortes.

Pro Papa. Postcommunio.

**H**æc nos, quæsumus Dómine, diuini sacramenti perceptio protegat: & famulum tuum N. quem pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, vna cum commisso sibi grege saluet semper, & muniat. Per Dóminum.

Vel contra persec. Eccles. Postcommunio. Quæsumus Dñe. fol 54.

## DOMINICA IIII.

post Epiphaniam. Introitus.



Dorâte Deum omnes Angeli eius: audiuit, & lætata est Sion: & exultauerunt filii Iudæ. Psalmus. Dóminus regnauit, exultet terra; lætentur insulæ multæ. ¶ Glória. Oratio.

**D**eus, qui nos in tantis periculis constitutos, pro humana scis fragilitate non posse subsistere: da nobis salutem mentis & corporis; vt ea quæ pro peccatis nostris patimur, te adiuuante vincamus. Per Dóminum.

De sancta Maria. Oratio.

**D**eus, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fecunda, humano generi præmia præstisti: tribue quæsumus, vt ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

Contra persecutores Ecclesiæ. Oratio.

**E**cclisiæ tuæ, quæsumus Dómine, preces placatus admítte: vt, destructis aduersitatibus & erroribus vniuersis, secúratibi ser-

uiat libertate. Per Dóminum.

Vel pro Papa. Deus omnium. vt in Dominica praecedenti. fol. 54.

Si autem hæc Dominica venerit post festum Purificationis, dicitur secunda Oratio, A cunctis. vt infra in Dominica sequenti fol. 57. & tertia ad libitum Sacerdotis.

Léctio Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Romános.

**F**RATRES, Némini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis: qui enim dilit próximum, legem impluit. Nam: Non adulterabis: Non occides: Non furaberis: Non falsum testimónium dices: Non concupisces: & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Díliges próximum tuum sicut te ipsum. Diléctio próximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.

Gráduale. Timébunt Gentes nomen tuum Dómine, & omnes reges terræ gloriari tuam. ¶ Quóniam adificauit Dóminus Sion, & vidébitur in maiestate sua. Alleluia, alleluia.

¶ Dóminus regnauit, exultet terra: lætentur insulæ multæ. Alleluia. ¶

Secundum sancti Euangélii secundum Matthæum.

**I**n illo tempore: Ascendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discípuli eius: & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiébat. Et accesserunt ad eum discípuli eius, & suscitaverunt eum, dicentes: Dómine, salua nos, perimus. Et dicit eis Iesus: Quid timidi estis, módi cæ- dei?

dei? Tunc surgens, imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei? Credo.

Offertorium. D extera Domini fecit virtutem, d extera Domini exaltavit me: non moriar, sed viviam, & narrabo opera Domini. Secreta.

**C** Oncede quæsumus omnipo tent Deus: ut huius sacrificij munus oblatum, fragilitatem nostram ab omni malo purget semper, & muniatur. Per Dominum.

De sancta Maria. Secreta.

**M** Vnéribus nostris, quæsumus Domine, precibusque suscepisti; & cœlestibus nos munda mysteriis, & clementer exaudi. Contra persecutores Ecclesiae.

Secreta.

**P** Rotege nos Domine tuis mysteriis seruientes: ut diuinis rebus inhærentes, & corpore tibi famulēmur, & mente. Per Dominum.

Vel pro Papa. Secreta. Oblatis, quæsumus Domine. vt in Dominicā præcedenti. fol. 55.

Communio. Mirabuntur omnes de his, quæ procedebant de ore Dei.

Postcommunio.

**M** Vnera tua nos Deus à delegationibus terrénis expédiant, & cœlestibus semper instaurant aliméntis. Per Dominum.

De S. Maria. Postcommunio.

**H** Ecce nos communio, Domine, purget à crímine: & intercedente beata vírgine Dei genitrice María, cœlestis remédijs faciat esse confortes.

Contra persecutores Ecclesiae. Postcommunio.

**Q** Væsumus Dñe Deus noster: vt quos diuina tribus participatione gaudere, humánis non si nas subiacere periculis. Per Dominum. Vel pro Papa. Postcommunio.

**H** ec nos, quæsumus Domine. vt in Dominicā præterita. fol. 56.

### D O M I N I C A V. post Epiphaniam. Introitus.

 Dorate Deum omnes Angeli eius: audiuit, & latata est Sion: & exultauerunt filii Iudeæ. Psalm. Domini regnauit, exultet terra: latentur insulae multæ. Glòria. Oratio.

**F** Amíliam tuam, quæsumus Domine, continua pietate custodi: ut quæ in sola spe gratiae cœlestis innititur, tua semper protectione muniatur. Per Dominum.

Ad poscenda suffragia Sanctorum. Oratio.

**A** Cunctis nos, quæsumus Domine, mentis & corporis defende periculis: & intercedente beata & gloriósa semper vírgine Dei genitrice María, cum beatissimis Apóstolis tuis Petro & Paulo, atque beato N. & omnibus Sanctis, salutem nobis tribue benignus & pacem; ut destruetis aduersitatis & erroribus vniuersis, Ecclesia tua secura tibi seruiat libertatem.

In hac Oratione nomina sanctorum Michaëlis & Ioannis Baptista præponuntur Apostolis.

Tertia Oratio dicitur ad libitum Sacerdotis.

Léctio Epistolæ beati Pauli  
A póstoli ad Colossenses

**F**ratres, Indúite vos sicut élēcti Dei, sancti, & dilecti, vi-scera misericórdiæ, benignitatem, humilitatem, modéstiam, patiētiam: supportantes ínuicem, & donantes vobis metípsis, si quis ad-uérſus aliquem habet querēlam: sicut & Dóminus donáuit vobis, ita & vos. Super ómnia autem hæc, charitatem habete, quod est vínculum perfectiōnis: & pax Christi exultet in córdibus vestris, in qua & vocati estis in uno corpore: & gratia estote. Verbum Christi hábitet in vobis abundanter, in omni sapiētia, docēntes, & commonēntes vos metípsos, psalmis, hymnis, & canticis spirituálibus, in grātia cantantes in córdibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, ómnia in nōmine Dómini Iesu Christi, grātias agēntes Deo & Patri per Iesum Christum Dóminum nostrum.

**Psal. 101.**  
Graduale. Timébunt Géntes nōmen tuum Dómine, & omnes reges terræ gloriā tuam. **y.** Quóniam ædificauit Dóminus Sion, & vidēbitur in maiestate sua. Allelúa, allelúa.  
**y.** Dóminus regnáuit, exultet terra: lætentur ínsulæ multæ. Allelúa.

S equentia sancti Euangélij secundum Matthæum.

**M**at. 13. 1. N illo tempore: Dixit Iesus turbis parabolam hanc: Símile factum est regnum cælorum hómini, qui semináuit bonum semen in agro suo. Cùm autem

dormirent homines, venit inimicus eius, & supersemináuit zizánia in médio trítici, & abiit. Cùm autem creuisset herba, & fructum fecislet, tunc apparuerunt & zizánia. Accedentes autem serui patris famílias, dixerunt ei: Dómine, nónne bonum semen seminásti in agro tuo? Vnde ergo habet zizánia? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: Vis, imus, & colligimus ea? Et ait: Non: ne fortè colligéntes zizánia, eradicétis simul cum eis & triticum. Sínite útraque crēscere usque ad messem, & in tempore messis dicam messóribus: Collígite primū zizánia: & alligáte ea in fascículos ad comburéndum, triticum autem congregáte in hórreum meum. Credo.

**Psal. 117.**  
Offertorium. D'extra Dómini fecit vittūtem, d'extra Dómini exaltáuit me: non móriar, sed viuam, & narrábo opera Dómini. **Secreta.**

**H**ostias tibi Dómine placatiōnis offérimus: vt & delicta nostra miseratus absoluas, & nutantia corda tu dirigas. Per Dóminum nostrum.

Ad poscenda suffragia Sanctorum. **Secreta.**

**E**xaudi nos Deus salutáris noster: vt per huius sacramenti virtutem, a cunctis nos mentis & corporis hóstibus tueáris; grātiam tríbuens in præsenti, & gloriā in futuro.

Tertia ad libitum.

Communio. Mirabántur omnes de his, quæ procedébant de ore Dei.

Post-

## Postcommunio.

**Q**Væsumus omnípotens Deus: vt illius salutâris capiâmus efféctum, cuius per hæc mystéria pignus accépimus. Per Dóminum nostrum.

Ad poscenda suffragia Sanctorum. Postcommunio.

**M**Vndet & muniat nos, quæsumus Dómine, diuini sacramenti munus oblátum: & intercedente beata vírgine Dei genitricë María, cum beatis Apóstolis tuis Petro & Paulo, atque beato N. & omnibus Sanctis; à cunctis nos reddat & peruersitatibus expiatos, & aduersitatibus expeditos.

Tertia ad libitum.

## DOMINICA VI.

post Epiphaniam. Introitus.

Dorâte Deum omnes Angeli eius: audîuit, & latâta est Sion: & exultaerunt filiae Iudæ. Psalmus. Dóminus regnâuit, exultet terra: latentur insulæ multæ. ¶ Glória Patri.

Oratio.

**P**Ræsta quæsumus omnípotens Deus: vt semper rationabília meditantes, quæ tibi sunt plácita, & dictis exequâmur, & factis. Per Dóminum nostrum.

Ad poscenda suffragia Sanctorum. Oratio.

**A**Cunctis nos, quæsumus Dómine, mentis & corporis defende periculis: & intercedente beata & gloriosa semper vírgine Dei genitricë María, cum beatis Apóstolis tuis Petro & Paulo, at-

que beato N. & omnibus Sanctis, salutem nobis tribue benignus & pacem; vt, destruetis aduersitatibus & erroribus vniuersis, Ecclésia tua secúra tibi seruat libertatem.

Tertia ad libitum.

Léctio Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Thessalonicenses.

**F**Ratres, Grátias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriā vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione, mémores operis fidei vestræ, & laboris, & charitatis, & sustinēti spei Dómini nostri Iesu Christi, ante Deum & Patrem nostrum: scientes fratres, dilecti à Deo, electionem vestram: quia Euangélium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute, & in Spíritu sancto, & in plenitudine multa, sicut scitis quales fuérimus in vobis propter vos. Et vos imitatores nostri facti estis, & Dómini, excipiētes verbum in tribulatiōne multa, cum gáudio Spíritus sancti: ita vt facti sitis forma omnibus credentibus in Macedónia, & in Acháia. A vobis enim diffamatus est sermo Dñi, non solum in Macedónia, & in Acháia, sed & in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profecta est, ita vt non sit nobis necesse quidquam loqui. Ipsi enim de nobis annuntiant qualem intróitum habuerimus ad vos: & quomodo conuerti estis ad Deum à simulacris, seruire Deo viuo, & vero, & expectare Fílium eius de cælis

(quem

(quem suscitauit ex mortuis) Iesum, qui eripuit nos ab ira vetera.

**Graduale.** Timebunt Gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terrae gloriam tuam. **y.** Quoniam aedificauit Dominus Sion, & videbitur in maiestate sua. Alleluia, alleluia. **y.** Dominus regnauit, exultet terra: latenter insulae multæ. Alleluia.

**S**equentia sancti Euangeli secundum Matthæum.

**I**n illo tempore: Dixit Iesus turbis parabolam hanc: Simile est regnum caelorum grano sapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo: quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut volucres caeli veniant, & habitent in ramis eius. Aliam parabolam locutus est eis. Simile est regnum caelorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas: & sine parabolis non loquebatur eis: ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Apériam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi. **Credo.**

**Offertorium.** Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini. **Secreta.**

**H**æc nos oblatio, Deus, humundet quæsumus, & renouet, gubernet, & protegat. Per Dominum nostrum.

### Alia Secreta.

**E**xaudi nos Deus salutarius noster: ut per huius sacramenti virtutem, à cunctis nos mentis & corporis hostibus tuearis; gratiam tribuens in praesenti, & gloriam in futuro. **Tertia ad libitum.**

**Communio.** Mirabuntur omnes de his, quæ procedebant de ore Dei.

### Postcommunio.

**C**ælestibus, Domine, pasti de liciis, quæsumus, ut semper eadem, per quæ veraciter vivimus, appetamus. Per Dominum.

### Alia Postcommunio.

**M**undet & muniat nos, quæsumus Domine, diuinæ sacramenti munus oblatum: & intercedente beata virginie Dei genitrici Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro & Paulo, atque beato N. & omnibus sanctis, à cunctis nos reddat & peruersitatibus expiatos, & aduersitatibus expeditos.

### Tertia ad libitum.

## DOMINICA

in Septuagesima.

**Statio ad sanctum Laurentium extra muros.** **Introitus.**



Ircumdedérunt me gémitus mortis, dolores inferni circuindedérunt me: & in tribulatione mea inuocáui Dominum, & exaudiuit de templo sancto suo vocem meam. Psalmus. **D**iligam te Domine fortitudine mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. **y.** Glória Patri. Non dicitur, Glória in excelsis, ab hac Dominica usque

vsque ad Pascha, exceptis Fériis quinta in Coena Domini, & Sabato sancto, & quando dicitur Missa de Festo. Oratio.

**P** Reces populi tui, quæsumus Dñe, clementer exaudi: vt qui iuste pro peccatis nostris afflígimur, pro tui nōminis glória misericorditer liberēmur. Per Dñm.

Ad poscenda suffragia Sanctorum. Oratio.

**A** Cunctis nos, quæsumus Dómine, mentis & cörperis defende periculis: & intercedente beata & gloriósa semper virginē Dei genitricē María, cum beatiss Apóstolis tuis Petro & Paulo, atque beato N. & omnibus Sanctis, salutem nobis tribue benignus & pacem; vt, destruetis aduersitatibus & erróribus vniuersis, Ecclēsia tua secūra tibi seruat libertatē. Per eūdem Dóminum. si dicenda est ultimo loco. Tertia ad libitum.

**S** Sic dicitur secunda & tertia Oratio à festo Purificationis vsque ad Feriam iiii. Cinerum exclusiūe, quando non est Duplex: nisi Dominica Septuagesimæ venerit ante festum Purificationis, vel in ipsa die Purificationis: quia tunc dicuntur Orationes sicut in Dominica ij. post Epiphaniam, de sancta Maria, & contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa. fol. 52. Simili modo fiat in Sexagesima, & Quinquagesima.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Corínthios.

**F** Ratres, Nescitis quod ij qui in stadio currunt, omnes qui-

dem currunt, sed unus accipit brāium? Sic currite ut comprehendātis. Omnis autem, qui in agone conténdit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem ut corruptibilem corōnam accipiunt; nos autem incorrūptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitūtem redigo: ne forte cum aliis prædicauerim, ipse reprobis efficiar. Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuérunt, & omnes mare transfiérunt; & omnes in Móyse baptizati sunt, in nube, & in mari: & omnes eādem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eūdem potum spiritalem bibérunt: (bibébant autem de spiritali, consequente eos, petra: petra autem erat Christus:) sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo.

**G**raduale. A diutor in opportunitatibus, in tribulatiōne: sperent in te, qui nouerunt te: quoniam non derelinquis querentes te, Dómine. **y.** Quoniam non in finem obliuio erit páuperis: patientia páuperum non peribit in æternum: exurge Dómine, non præualeat homo.

**T**ractus. De profundis clamáui ad te Dómine, Dómine exaudi vocem meam. **y.** Fiant aures tuæ intendentes in orationem serui tui. **y.** Si iniquitates obseruaueris Dómine, Dómine quis sustinébit? **y.** Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Dómine.

**A** Septuagesima usque ad Feriam quartam Cinerum, Tractus dicitur tantum in Dominicis, & Festis: in Feriis autem, quando repetitur Missa de Dominica, non dicitur, sed tantum Graduale.

S equentia sancti Euangeliū secundum Matthaeum.

**I**n illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum caelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis. Illi autem abiérunt. Iterum autem exiit circa sextam & nonam horam: & fecit similiter. Circa undécimam verò exiit, & inuenit alios stantes, & dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam. Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercédem, incipiens à nouissimis usque ad primos. Cum venissent ergo qui circa undécimam horam vénérant, acceperunt singulos denários. Venientes autem & primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denários. Et accipientes murmurabant aduér-

sus patrem familias, dicentes: Huius nouissimi una hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diéi, & astus. At ille respondens vni eorum, dixit: Amice non facio tibi iniuriam: nonne ex denário conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi, quod volo, facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero eleeti. Credo.

Offertorium. Bonum est confiteri Dómino, & psallere nomini tuo, Altissime.

### Secreta.

**M**inistris nostris, quæsumus Dómine, precibusque suscepisti: & caelestibus nos munda mysteriis, & clementer exaudi. Per Dóminum nostrum.

Si Dominica Septuagesimæ venerit ante festum Purificationis, vel ipsa die Purificationis, Secreta de S. Maria erit, Tua Dómine. ut in eiusdem Missa votiva. Ivi.

### Alia Secreta.

**E**xaudi nos Deus salutarius noster: ut per huius sacramenti virtutem, a cunctis nos mentis & corporis hostibus tuearis; gratiam tribuens in praesenti, & gloriam in futuro.

Tertia ad libitum.

Communio. Illumina faciem tuam super serum tuum, & saluum me fac in tua misericordia: Dómine non confundar, quoniam inuocaui te.

## Postcommuniō.

**F** Idéles tui, Deus, per tua dona firméntur: vt éadem & percipiéndo requírant, & quæréndo si-ne fine percípiant. Per Dóminum.  
Alia Postcommunio.

**M** Vndet & múniat nos, quæsumus Dómine, diuini sacraménti munus oblátum: & intercedénte beáta vírgine Dei genitrix María, cum beátis Apóstolis tuis Petro & Paulo, atque beáto N. & ómnibus Sanctis; à cunctis nos reddat & peruersitáibus expiátos, & aduersitáibus expedítos. Tertia ad libitum.  
Benedicámus Dño. R. Deo grátias.

## D O M I N I C A

in Sexagesima.

Statio ad S. Paulum. Introitus.

Xúrge, quare obdórmis Dómine? exúrge, & ne repéllas in finem: quare fáciem tuam auértis, obliuisceris tribulatióñem nostram? ádhæsit in terra venter noster: exúrge Dómine, ádiuua nos, & líbera nos. Psal-mus. D eus, áuribus nostris audíuimus: patres nostri annuntiauérunt nobis. V. Glória Patri. Oratio.

**D**eus qui cóncipis, quia ex nulla nostra actiōne confidimus: concéde propítius; vt contra aduéra sa ómnia, Doctòris Gén-tium protectiōne muniámur. Per Dóminum nostrum.

Ad poscenda suffragia Sánctorum. Oratio.

**A**Cunctis nos, quæsumus Dómine, mentis & corporis de-



fende periculis: & intercedénte beáta & gloriósa semper vírgine Dci genitrix María, cum beátis Apóstolis tuis Petro & Paulo, atque beáto N. & ómnibus Sanctis, salutem nobis tríbue benígnus & pacem; vt destrúctis aduersitáibus & terróribus vniuérsis, Ecclésia tua secúra tibi seruiat libertatē.

Tertia ad libitum.

L éctio Epistolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios:

**F**Ratres, Libénter suffertis insipiéntes, cùm sitis ipsi sapiéntes. Sustinétis enim si quis vos in seruitútem rédigit, si quis déuorat, si quis áccipit, si quis extóllitur, si quis in faciem vos cædit. Secúndum ignobilitatēm dico, quasi nos infirmi fuérimus in hac parte. In quo quis audet ( in insipiéntia dico ) áudeo & ego: Hebræi sunt, & ego: Israélitæ sunt, & ego: Semen Abrahæ sunt, & ego: Ministrī Christi sunt ( vt minūs sápiens dico ) plus ego: in labóribus plúrimis, in carcéribus abundantiūs, in plagis supra modum, in mórtibus frequénter. A Iudæis quínquies, quadragé-nas, vna minus, accépi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidátus sum, ter naufrágium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itinéribus sæpè, periculis flúminum, periculis latrónum, periculis ex género, periculis ex Géntibus, periculis in ciuitate, periculis in solitúdine, periculis in mari, periculis in falsis frátribus: in labore & ærúmna, in vigilijs multis, in

fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate: præter illa quæ extrinsecus sunt, instântia mea quotidiâna, sollicitûdo ómnium Ecclesiârum. Quis infirmâtur, & ego non infirmor? quis scandalizâtur, & ego non vror? Si gloriári opôrtet: quæ infirmitatis meæ sunt, gloriâbor. Deus & Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quod non mentior. Damâsci præpositus Gentis Aretæ regis, custodiébat ciuitatēm Damascenorum, vt me comprehenderet: & per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus eius. Si gloriári opôrtet (non expedit quidem:) véniam autem ad visiones, & reuelationes Dómini. Scio hóminem in Christo ante annos quatuordecim ( siue in corpore, nescio, siue extra corpus, nescio, Deus scit ) raptum huiusmodi usque ad tertium cælum. Et scio huiusmodi hóminem ( siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit ) quóniam raptus est in Paradísum: & audíuit arcana verba, quæ non licet hómini loqui. Pro huiusmodi gloriâbor: pro me autem nihil gloriâbor nisi in infirmitatibus meis. Nam, & si voluerò gloriári, non ero insípiens: veritatem enim dicam: parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me. Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ ángelus sâtanæ, qui me colaphízet.

Propter quod ter Dóminum rogáui vt discéderet à me: & dixit mihi: Súfficit tibi grátia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Libénter ígitur gloriâbor in infirmitatibus meis, vt inhábitet in me virtus Christi.

Psal. 82.  
Graduale. Siant Gentes, quóniam nomen tibi Deus: tu solus Altíssimus super omnem terram. ¶ Deus meus, pone illos vt rotam, & sicut stípulam ante fáciem venti.

Psal. 59.  
Tractus. C ommouísti Dñe terram, & conturbásti eam. ¶ Sana contritiōnes eius, quia mota est. ¶ Ut fugiant à facie arcus: vt liberentur elec̄ti tui.

S equentia sancti Euangélij secundum Lucam.

Luu. 8.  
IN illo tempore: Cùm turba plúrima conuenírent, & de ciuitatibus properarent ad Iesum, dixit per similitudinem: Exiit, qui seminat, seminare semen suum: & dum seminat, áliud cecidit seclus viam, & conculcatum est, & volucres celi comedérunt illud. Et áliud cecidit supra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem. Et áliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocauérunt illud. Et áliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Interrogabant autem eum discípuli eius, quæ esset hæc parábola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse misterium regni Dei, céteris autem in parabolis; vt videntes non videant, & audiéntes non intelli-

gant.

gant. Est autem hæc parábola: Se-  
men est verbum Dei. Qui autem  
secus viam , hi sunt qui audiunt:  
deinde venit diábolus , & tollit  
verbum de corde eórum , ne cre-  
dentes salui fiant. Nam qui supra  
petram : qui cùm audierint , cum  
gáudio suscipiunt verbum: & hi  
radices non habent: qui ad tem-  
pus credunt , & in tempore ten-  
tationis recédunt. Quod autem  
in spinas cécidit: hi sunt , qui au-  
diérunt , & à sollicitudinibus , &  
diuinitiis , & voluptatibus vitæ,  
eúntes , suffocántur , & non réfe-  
runt fructum. Quod autem in  
bonam terram: hi sunt , qui in cor-  
de bono & óptimo audientes ver-  
bum rétinent , & fructum áfferunt  
in patientia. Credo.

P. 16. Offertorium. Pérfice gressus meos  
in semitis tuis , vt non moueántur ve-  
stigia mea: inclína aurem tuam , & ex-  
audi verba mea : mirifica misericórdias tuas , qui saluos facis sperantes in  
te Dómine. Secreta.

**O** Blátum tibi Dómine sacrifici-  
cium viuíficit nos semper , &  
muniat. Per Dñm. Alia Secreta.  
**E**Xaudi nos Deus salutáris no-  
ster: vt per huius sacraménti  
virtutem , à cunctis nos mentis &  
córporis hóstibus tueáris; grátiam  
tribuens in præsénti , & gloriā in  
futuro. Tertia ad libitum.

Communio. Introibo ad altare  
Dei , ad Deum , qui lǽtificat iuuentu-  
tem meam. Postcommunio.

**S**Vpplices te rogámus , omnípo-  
tens Deus: vt quos tuis réficiis  
sacraméntis , tibi étiam plácitis

móribus dignáter deseruître con-  
cédas. Per Dóminum.

Alia Postcommunio.

**M**Vndet & muniat nos , quæ-  
sumus Dómine , diuini sa-  
craménti munus oblátum : & in-  
tercedénte beáta vírgine Deigeni-  
trice María , cum beatís Apóstolis  
tuis Petro & Paulo , atque beátoN.  
& ómnibus Sanctis; à cunctis nos  
reddat & peruersitátibus expiá-  
tos , & aduersitátibus expedítos.

Tertia ad libitum.

Benedicámus Dómino.

D O M I N I C A  
in Quinquagesima.

Statio ad S. Petrum. Introitus.



F. 30. Sto mihi in Deum pro-  
tectorē , & in locum re-  
fúgij , vt saluum me fáciás:  
quóniam firmaméntum  
meum , & refúgium meum es tu : &  
propter nomen tuum dux mihi eris ,  
& enútries me. Psalm. In te Dómine  
speráui , non confundar in æternum:  
in iustitia tua líbera me , & éripe me.  
y. Glória Patri. 11. id Oratio.

**P**Reces nostras , quæsumus Dó-  
mine , cleménter exaudi : at-  
que à peccatórum vínculis abso-  
lutos , ab omnino aduersitáte cu-  
stodi. Per Dóminum nostrum.

Ad poscenda suffragia San-  
ctorum. Oratio.

**A**Cunctis nos , quæsumus Dó-  
mine , mentis & córporis  
defénde periculis: & intercedénte  
beáta & gloriósa semper vírgine  
Dei genitrice María , cum beatís  
Apóstolis tuis Petro & Paulo , at-

que beato N. & omnibus Sanctis, salutem nobis tribue benignus & pacem; vt, destruatis aduersitatibus & erroribus vniuersis, Ecclésia tua secūra tibi seruat libertatem.

Tertia ad libitum.

Léctio Epistolæ beati Pauli ad Apóstoli ad Coríntios.

**F**ratres, Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tintinnens. Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Cháritas patientis est, benigna est: Cháritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Cháritas numquam excedit: siue prophetiae euacuabitur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfecitum est, euacuabitur quod ex parte est. Cum essem páruulus, loquébar ut páruulus, sapiébam ut páruulus, cogitabam ut páruulus.

Quando autem factus sum vir, euacuáui quæ erant páruuli. Vidēmus nunc per sp̄culum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoscō ex parte: tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Nunc autem manent, fides, spes, cháritas, tria hæc: maior autem horum est cháritas.

Graduale. Tu es Deus, qui facis mirabilia solus: notam fecisti in Géntibus virtutem tuam. ¶ Liberasti in brachio tuo populum tuum, filios Israël & Ioseph.

Tractus. Iubilāte Deo omnis terra: seruīte Dño in lætitia. ¶ Intrāte in conspectu eius in exultatione: scitote quod Dóminus ipse est Deus. ¶ Ipse fecit nos, & non ipsi nos: nos autem populus eius, & oues pascuae eius.

Sequentia sancti Euangeliij secundum Lucam.

**I**n illo tempore: Assumpsit Iesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophétas de Filio hominis. Tradétur enim Géntibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellauerint, occidetur eum, & tértia die resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebatur. Factum est autem, cum appropinquaret Iéricho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quod Iesus Nazarénus transiret.

iret. Et clamauit, dicens: Iesu fili Dauid, miserere mei. Et qui præribant, increpabant eum ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat: Fili Dauid miserere mei. Stans autem Iesus, iussit illum aduici ad se. Et cum appropinquasset, interrogauit illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine ut videam. Et Iesus dixit illi: Respice, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur illum, magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo. Credo.

**Psal  
118.** Offertorium. Benedicatus est Domine, doce me iustificationes tuas: in labiis meis pronuntiaui omnia iudiciaoris tui. Secreta.

**H**ec hostia, Domine quæsumus, emundet nostra delicta: & ad sacrificium celebrandum, subditorum tibi corpora mentesque sanctificet. Per Dominum. Alia Secreta.

**E**xaudi nos Deus salutaris noster: ut per huius sacramenti virtutem, à cunctis nos mentis & corporis hostibus tuearis; gratiam tribuens in praesenti, & gloriam in futuro. Tertia ad libitum.

**Psal  
77.** Communionio Manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis Dominus: non sunt fraudati à desiderio suo. Postcommunio.

**Q**uemadmodum omnipotens Deus: ut qui caelestia alimenta percipimus, per haec contra omnia aduerfa muniamur. Per Dominum.

Alia Postcommunio.

**M**undet & muniat nos, quæsumus Domine, diuinis sa-

cramenti munus oblatum: & intercedente beata virginie Dei genitrix Maria, cum beatissimis Apostolis tuis Petro & Paulo, atque beato N. & omnibus Sanctis; à cunctis nos reddat & peruersitatibus expiatis, & aduersitatibus expeditos. Tertia ad libitum.

Benedicamus Domino.

#### FERIA IV. CINERVM.

Ante Missam benedicuntur cineres facti de ramis olivarum, siue aliarum arborum, precedentem anno benedictis, hoc modo.

Finita Nonna, Sacerdos indutus pluiali violaceo, vel sine casula, cum ministris similiter indutis, procedit ad benedicendum cineres in vase aliquo super Altari positos. Et primo cantatur à Choro sequens Antiphona.

**Psal  
68.** Exaudi nos Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos Domine. Psal S aluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ usque ad animam meam. Glòria. Repetitur, Exaudi nos.

Deinde Sacerdos in cornu Epistolæ, non vertens se ad populum, manibus iunctis (quod seruatur etiam in Orationibus omnium benedictionum quoad manus iunctas) dicit Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

**O**rémus. Oratio.  
Omnipotens sempiterne Deus, parce penitentibus, propitiare supplicantibus: & mittere

dignérīs sanctū Angelū tuū de cælis, qui bene † dicat, & sancti † facet hos cíneres, vt sint remedium salubre ómnibus nomen sanctum tuum humíliter implorántibus, ac semetipsos pro conscientia delictórum suórum accusantibus, ante conspéctum diuinæ clementiæ tuæ facinorasua deplorántibus, vel serenissimam pietatem tuam suppliciter obnixèque flagitántibus: & præsta per inuocatiōnem sanctissimi nōminis tui; vt, quicúmque per eos aspérsi fuerint, pro redemptiōne peccatórum suórum, cörperis sanitatem, & animæ tutelam percípiant. Per Christum Dóminum nostrum. R. Amen. O rēmus.

**D**eus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatórum: fragilitatem conditiōnis humanae benignissime respice, & hos cíneres, quos causa proferendæ humilitatis, atque promerendæ véniae, capitibus nostris imponi decernimus, bene † dícere pro tua pietate dignare: vt qui nos cínerem esse, & ob prauitatis nostræ demeritum in péluerem reuersuros cognoscimus; peccatórum ómnium véniam, & præmia pœnitentibus repromissa, misericorditer cónsequi mereamur. Per Christum Dóminum nostrum. R. Amen. O rēmus.

**D**eus, qui humilitatiōne fléteris, & satisfactione placáris: aurem tuæ pietatis incliná precibus nostris; & capitibus suórum, horum cínerum

aspersiōne contáctis, effunde propitiū gratiā tuæ benedictiōnis: vt eos & spíritu compunctionis répleas, & quę iuste postulauerint, efficaciter tríbuas; & concésla perpetuò stabilita, & intácta manere decernas. Per Christum Dóminū nostrum. R. Amen. O rēmus.

**O** Mnípotēs sempiterne Deus; qui Niniuitis in cínere & cilicio pœnitentibus, indulgentiæ tuæ rēmédia præstisti: concéde propitiū; vt sic eos imitēmur hábitu, quatenus véniae prosequamur obtentu. Per Dóminum.

**P**osteà Celebrans imposito incenso in thuribulo, ter aspergit cíneres aqua benedicta, dicendo Antiphonam, **Aspérge**, sine cantu & sine Psalmo, & ter adolet incenso. Deinde dignior Sacerdos ex Clero accedens ad Altare, imponit cínerem Celebranti non genuflexo. Si verò non adsit alius Sacerdos, ipsemet Celebrans, genibus flexis coram Altari, sibi ipsi cíneres imponit in capite, nihil dicens: & cantatur statim à Choro Antiphona.

**I**mmutemur hábitu, in cínere & cilicio: ieiunemus, & plorémus ante Dóminum: quia multum misericors est dimittere peccata nostra Deus noster. **Alia Antiphona.**

Inter vestibulum & Altare plorabunt Sacerdotes ministri Dómini, & dicent: Parce Dómine, parce populo tuo: & ne claudas ora canentium te Dómine. Sequitur R. E mendemus in melius, quæ ignoranter peccauimus: ne subito præoccupati die mortis, queramus

Psal. 78.

spatium pœnitentiæ, & inuenire non possumus.\* Atténde Dñe, & miserere: quia peccauimus tibi. **y.** Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter honorem nominis tui Dómine libera nos. Atténde Dómine. **y.** Glória Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Atténde.

**S**acerdos verò dum cantantur Añæ, & Responsorium, detecto capite, primò imponit cineres digniori Sacerdoti, à quo ipse accepit, deinde ministris paratis, genibus flexis coram Altari, dicens: Meménto homo, quia puluis es, & in plúuerem reuertérис.

Póstea veniunt alij, primò Clerus per ordinem, deinde populus: & genibus flexis ante Altare singulatim recipiunt cineres à Sacerdote, vt dictum est de ministris. Completa Cinerum impositione Sacerdos dicit, Dóminus vobiscum.

Orémus.

**C**oncède nobis Dómine, præsidia militiæ Christiánæ sanctis inchoare ieuniis: vt contra spiritalés nequitias pugnatúri, continéntiæ muniamur auxiliis. Per Christum Dóminum nostrum. **y.** Amen.

Deinde dicitur Missa.

*Statio ad S. Sabinam.* Introitus.

**M**isereris omnium Dómino, & nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam, & parcens illis: quia tu es Dóminus Deus noster. Psalmus. Misere mei Deus, misere mei: quóniam in te confidit anima mea. **y.** Glória Patri.



### Oratio.

**P**ræsta Dómine fidélibus tuis: vt ieuniôrum veneránda solémnia, & congrua pietate suscipiant, & secúra deuotione percurrant. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

**A**Ab hac die, usque ad Dominicam de Passione, post Orationem diei dicuntur duæ sequentes Orationes.

Ad poscenda suffragia Sanctorum. **O**ratio.

**A**cunctis nos, quæsumus Dómine, mentis & corporis defénde periculis: & intercedente beata & gloriósa semper virgine Dei genitrici María, cum beatissimis Apóstolis tuis Petro & Paulo, atque beato N. & omnibus Sanctis, salutem nobis tribue benígnus & pacem; vt, destructis aduersitatibus & erróribus vniuersis, Ecclesia tua secúra tibi seruiat libertatem.

Pro viuis & defunctis.

### Oratio.

**O**mnipotens sempiterne Deus, qui viuorum dominaris simul & mortuorum, omniumque miserériis, quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis: te supplices exoramus; vt, pro quibus effundere preces decreuimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne rétinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit; intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementia, omnium delictorum suorum véniam consequantur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum.

toël.

**H**æc dicit Dóminus: Conuer-

tímini ad me in toto corde  
vestro, in iejúnio, & in fletu, & in  
planctu. Et scíndite corda vestra,  
& non vestiménta vestra, & con-  
uertímini ad Dóminum Deum  
vestrum: quia benignus & miséri-  
cors est, pátiens & multæ miseri-  
cordiæ, & præstabilis super malitia.  
Quis scit si conuertátur, &  
ignóscat, & relínquat post se be-  
nedictiōnem, sacrificium & libá-  
men Dómino Deo vestro? Cáni-  
te tuba in Sion, sanctificáte iejú-  
nium, vocáte cœtum, congregáte  
pópulum, sanctificáte ecclésiam,  
coadunáte senes, congregáte pá-  
ruulos, & fugéntes ubera: egrediā-  
tur sponsus de cubili suo, & spon-  
sa de thálamo suo. Inter vestibu-  
lum & altare plorábunt sacerdó-  
tes minístri Dómini, & dicent:  
Parce Dómine, parce pópulo tuo:  
& ne des hereditatēm tuam in op-  
próbrium, vt dominéntur eis na-  
tiones. Quare dicunt in pópulis:  
Vbi est Deus eōrum? Zelátus est  
Dóminus terram suam, & pepér-  
cit pópulo suo. Et respóndit Dó-  
minus, & dixit pópulo suo: Ecce  
ego mittam vobis fruméntum, &  
vinum, & óleum, & replebímini  
eis: & non dabo vos ultrà oppró-  
brium in Géntibus: dicit Dómi-  
nus omnípotens.

**G**raduale. Miserere mei Deus, mi-  
serere mei: quóniam in te confidit áni-  
ma mea. \* Misit de cælo, & liberá-  
uit me: dedit in opprobrium concul-  
cántes me.

**T**ractus. Dómine, non secundum  
peccata nostra, quæ fecimus nos, neque  
secundum iniquitates nostras retrí-  
buas nobis. \* Dómine, ne memineris  
iniquitatum nostrarum antiquarum:  
citò anticipenit nos misericordia tua,  
quia páuperes facti sumus nimis.  
\* Adiuua nos Deus salutarius no-  
ster: & propter gloriā nominis tui  
Dómine libera nos: & propitius esto  
peccatis nostris propter nomen tuum.

**S**upradictus Tractus ab hac  
die dicitur Feria ij. iiij. & vj. usque  
ad Feriam iiij. maioris Hebdomadæ,  
nisi proprius assignetur.

**S**equentia sancti Euangeliū  
secundum Matthæum.

**I**n illo tempore: Dixit Iesus di-  
scípulis suis: Cum iejunatis,  
nolite fieri sicut hypócritæ tristes.  
Exterminant enim facies suas, vt  
appáreant homínibus iejunantes.  
Amen dico vobis, quia recepé-  
runt mercédem suam. Tu autem,  
cum iejunas, vnge caput tuum,  
& faciem tuam laua, ne videáris  
homínibus iejunans, sed Patri  
tuo, qui est in abscondito: & Pa-  
ter tuus, qui videt in abscondito,  
reddet tibi. Nolite thesaurizare  
vobis thesáuros in terra: vbi ærugo,  
& tinea demolítur: & vbi fu-  
res effodiunt, & furántur. The-  
saurizate autem vobis thesáuros  
in cælo: vbi neque ærugo, neque  
tinea demolítur, & vbi fures non  
effodiunt, nec furántur. Vbi enim  
est thesáurus tuus, ibi est & cor-  
tuum.

**O**ffertorium. Exaltabo te Dómine,  
quóniam suscepisti me, nec deleásti

inimi-

inimicos meos super me: Dómine clamaui ad te, & sanasti me. Secreta.

**F** Ac nos, quæsumus Dómine, his munéribus offeréndis cōueniénter aptári: quibus ipsius venerabilis sacraménti celebrámus exordium. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ vsque ad Dominicam Passionis.

**E** Xaudi nos Deus salutáris noster: vt per huius sacraménti virtutem, à cunctis nos mentis & corporis hóstibus tueáris; grátiam tríbuens in præsénti, & gloriā in futúro.

**D**eus, cui soli cónitus est númerus electórum in supérrna felicitate locándus: tríbue quæsumus, vt intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, vniuersórum, quos in oratiōne commendátos fuscépiimus, & ómnia fidélium nómina, beatæ prædestinatiōnis liber adscripta retíneat. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Præfatio. Qui corporali ieíunio. Et dicitur quotidie vsque ad Dominicam Passionis, etiam in Festis, si in eis propria non habeatur.

Communio. Qui meditabitur in lege Dómini die ac nocte, dabit fructum suum in tempore suo.

Postcommunio.

**P** Ercépta nobis, Dómine, præbeant sacraménta subsídium: vt tibi grata sint nostra ieíunia, & nobis proficiant ad medélam. Per Dóminum nostrum.

Alia Postcommunio.

**M**Vndet & múniat nos, quæsumus Dómino, diuini sa-

craménti munus oblátum: & intercedénte báta vírgine Dei genitrice María, cum beátis Apóstolis tuis Petro & Paulo, atque beáto N. & ómnibus Sanctis; à cunctis nos reddat & peruerositáribus expiátos, & aduersitatibus expedítos.

**P** Vríficent nos, quæsumus omnipotens & misericors Deus, sacraménta quæ sumpsimus: & intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, præsta; vt hoc tuum sacraméntum non sit nobis reáthus ad pœnam, sed intercéssio salutáris ad véniam: sit ablútio scélerum, sit fortitudo fragílium, sit contra ómnia mundi pericula firmaméntum: sit viuorum atque mortuorum fidélium, remissio ómnia delictórum. Per Dóminum nostrum.

Deinde Sacerdos absoluítè dicit: O rēmus. Et Diaconus ( si in officio Diaconatus seruiat ) versus ad populum iunctis manibus dicit: Humiliáte capita vestra Deo. Alioquin ipse Sacerdos, stans in eodem loco ante librum, & non vertens se ad populum. Oratio.

**I**Nclinantes se, Dómine, maiestati tuæ, propitiátus inténde: vt qui diuino múnere sunt refécti, cælestibus semper nutriántur auxilijs. Per Dóminum.

Et hic modus dicendi Oratiōnem super populum seruatur tantummodò in Missis de Feria vsque ad quartam Feriam maioris Hebdomadæ. Deinde Benedicamus Dómino. R. Deo gratias.

**FERIA QVINTA.**  
*Statio ad Sanctum Georgium.*

## Introitus.

**D**omine clamarem ad Dominum, exaudiuit vocem meam ab his, qui approximant mihi: & humiliavit eos, qui est ante sæcula, & manet in æternum: iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutrit. Psalmus. Exaudi Deus orationem meam, & ne despéreris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me. Glória Patri.

## Oratio.

**D**eus, qui culpa offenditeris, pœnitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitiatus respice; & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, auérte. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, vt supra in Feria quarta Cinerum. fol. 69.

## Léctione Isaiae Prophétæ.

**I**ndiébus illis: Agrotauit Ezechias usque ad mortem: & introiuit ad eum Isaías filius Amos Prophéta, & dixit ei: Hæc dicit Dóminus: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues. Et conuertit Ezechias faciem suam ad parietem, & orauit ad Dóminum, & dixit: Obscurio Dómine, meméto quælo quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Et fleuit Ezechias fletu magno. Et factum est verbum Dómini ad Isaïam, dicens: Vade, & dic Ezechia: Hæc dicit Dóminus Deus Dauid patris tui: Audiu oratiō-

nem tuam, & vidi lacrymas tuas: ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos: & de manu regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam, & protegam eam, ait Dóminus omnipotens.

Graduale. Iacta cogitatum tuum in Dómino, & ipse te enutrit. y. Dum clamarem ad Dñm, exaudiuit vocem meam ab his, qui appropinquant mihi.

Sequentia sancti Euangélij secundum Matthæum.

**I**n illo tempore: Cum introisset Iesus Capharnaum, accéssit ad eum Centúrio, rogans eum, & dicens: Dómine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centúrio, ait: Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit: & alij, Veni, & venit: & seruo meo, Fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus, miratus est, & sequentibus sed dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente vénient, & recubent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum: filii autem regni efficientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurióni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanátus est puer in illa hora.

Offer-

**F. 14** Offertorium. A deo Dómine le-  
uáui ánimam mcam: Deus meus in  
te confido, non erubéscam: neque ir-  
rideant me inimíci mei: étenim vni-  
uérsi, qui te expéctant, non confun-  
déntrur.

Secreta.

**S**acrificiis præsentibus, Dómi-  
ne quæsumus, inténde placâ-  
tus: vt & deuotíoni nostræ profí-  
ciant, & salúti. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, vt in Feria quarta  
Cinerum. fol. 71.

**F. 50** Communio. Acceptabílis sacrifici-  
um iustítiae, oblationes, & holocáu-  
sta super altare tuum Dómine.

Postcommunio.

**C**ælestis doni benedictiōne  
percépta, súpplices te Deus  
omnipotens deprecámur: vt hoc  
idem nobis & sacraménti causa-  
sit, & salútis. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, vt in  
Feria iiiij. Cinerum. fol. 71.

Super populum. O rēmus.

Humiliâte cápita vestra Deo.

Oratio.

**P**Arce Dómine, parce pôpulo  
tuo: vt dignis flagellatiōni-  
bus castigátus, in tua miseratiōne  
respíret. Per Dóminum nostrum.

## FERIA SEXTA.

*Statio ad sanctos Ioannem*

*& Paulum. Introitus.*

Vdīuit Dóminus, & mi-  
seratus est mihi: Dóminus  
factus est adiutor meus.

*Psalm. Exaltabo te Dó-  
mine, quóniam suscepisti me: nec  
delectasti inimícos meos super me.  
V. Glória Patri.*



Oratio.

**I**nchoata ieíunia, quæsumus  
Dómine, beníigno fauore pro-  
séquere: vt obseruántiam, quam  
corporáliter exhibémus, ménti-  
bus étiam sincéris exercére valeá-  
mus. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, vt in Feria quar-  
ta Cinerum. fol. 69.

**L**ectio Isaiae Prophétæ.

**H**æc dicit Dóminus Deus:  
Clama, ne cesses: quasi tuba  
exálta vocem tuam, & annúntia  
pópulo meo scélera eórum, & dóm-  
mui Iacob peccáta eórum. Me ét-  
enim de die in diem quærunt, &  
scire vias meas volunt: quasi gens,  
quæ iustitiā fecerit, & iudícium  
Dei sui non dereliquerit: rogant  
me iudicia iustitiæ: appropinquâ-  
re Deo volunt. Quare ieíunáui-  
mus, & non aspéxisti: humiliáui-  
mus áimas nostras, & nescísti:  
Ecce in die ieíunij vestri inuenî-  
tur volúntas vestra, & omnes de-  
bitóres vestros repétitis. Ecce ad  
lites & contentiōnes ieíunatis, &  
percútitis pugno ímpie. Nolite ieí-  
junare sicut usque ad hanc diem,  
vt audiatur in excélsø clamor ve-  
ster. Numquid tale est ieíunium,  
quod elégi per diem afflígere hó-  
minem ánimam suam? numquid  
contorquere quasi círculum ca-  
put suum, & saccum & cínerem  
stérnere? numquid istud vocâbis  
ieíunium, & diem acceptábilem  
Dómino? Nónne hoc est magis ieí-  
unium quod elégi: dissolue col-  
ligatiōnes impietatis, solue fasci-  
culos depriméntes; dimítte eos,

qui confrácti sunt, líberos, & omne onus dirúmpe. Frange esuriénti panem tuum, & egéños vagósque induc in domum tuam: cùm víderis nudum, óperieum; & carnem tuam ne despéxeris. Tunc erúmpet quasi manè lumen tuum, & sánitas tua cítius oriétur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & glória Dómini colliget te. Tunc inuocábis, & Dóminus exáudiet: clamábis, & dicet: Ecce adsum. Quia misericors sum, Dóminus Deus tuus.

**Graduale.** Vnam pétij à Dómino, hanc requíram, vt inhábitem in domo Dómini. **¶** Vt vídeam voluptatēm Dñi: & protégar à templo sancto eius.

**Tractus.** Dómine, non secundūm peccata nostra, quæ fecimus nos, neque secundūm iniquitatēs nostras retríbuas nobis. **¶** Dómine, ne memineris iniquitatūm nostrārum antiquārum: citō anticipent nos misericordiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. **¶**\* Adiuua nos Deus salutāris noster: & propter gloriām nōminis tui Dómine líbera nos: & propítius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

**S**equentia sancti Euangélij secundūm Matthæum.

**I**n illo tempore: Dixit Iesus discípulis suis: Audistis quia dictum est: Diliges próximū tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui odérunt vos: & oráte pro persequéntibus, & calumniántibus vos: vt sitis filii Patris vestri, qui in cælis est: qui solem suum oríri

facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniústos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercédem habebitis? nónne & publicáni hoc faciunt? Et si salutauéritis fratres vestros tantū, quid amplius facitis? nónne & éthnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. Atténdite ne iustitiam vestram faciatis coram homínibus, vt videámini ab eis: alioquin mercédem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est. Cùm ergo facis eleémósynam, noli tuba cánere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagógis, & in vicis, vt honorificentur ab homínibus. Amen dico vobis, receperunt mercédem suam. Te autem faciente eleémósynam, nésciat sinistra tua quid faciat déxtera tua: vt sit eleémósyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

**Offertorium.** Dómine, viuífica me secundūm eloquium tuum: vt sciam testimónia tua. **Secreta.**

**S**acrificium, Dómine, obseruántiae quadragesimális, quod offérimus, præsta quæsumus, vt tibi & mentes nostras reddat acceptas, & continéntiae promptioris nobis tribuat facultatēm. Per Dóminum nostrum.

**Aliæ Secretæ,** vt in Feria quarta Cinerum. fol. 71.

**Communio.** S eruite Dómino intimore, & exultate ei cum tremore: apprehéndite disciplinam, ne pereatis de via iusta.

## Postcommunio.

**S**piritum nobis, Domine, tuae  
charitatis infunde: vt, quos  
vno pane caelesti satiasti, tua facias  
pietate concordes. Per Dominum.  
in unitate eiusdem Spiritus.

Aliæ Postcommuniones, vt in  
Feria iiiij. Cinerum. fol. 71.

Super populum. O remus.

Humiliare capita vestra Deo.

## Oratio.

**T**vere Domine populum tuum,  
& ab omnibus peccatis cle-  
menter emunda: quia nulla ei no-  
cabit aduersitas, si nulla ei domi-  
netur iniquitas. Per Dominum.

## S A B B A T O.

Statio ad S. Tryphonem. Introitus.

Vdixit Dominus, & mi-  
seritus est mihi: Dominus  
factus est adiutor meus.

Psalm. Exaltabo te Domi-  
ne, quoniam suscepisti me: nec  
delectasti inimicos meos super me.

Glória Patri. Oratio.

**A**desto Domine supplicatiō-  
nibus nostris: & concēde; vt  
hoc solēmne ieūnium, quod ani-  
mabus corporib⁹sque curāndis sa-  
lubriter institūtum est, deuoto ser-  
uítio celebrēmus. Per Dominum.

Aliæ Orationes, vt in Feria quar-  
ta Cinerum. fol. 69.

Léctio Isaiae Prophétæ.

**H**ec dicit Dominus Deus: Si  
abstuleris de medio tui catē-  
nam, & desíderis exténdere dígi-  
tum, & loqui quod non prodest.  
Cùm effúderis esuriénti animam  
tuam, & animam afflīctam replé-

ueris, oriētur in tenebris lux tua,  
& tenebrae tuae erunt sicut meri-  
dies. Et réquiem tibi dabit Domini-  
nus semper, & implēbit splen-  
dóribus animam tuam, & ossa  
tua liberabit; & eris quasi hortus  
irriguus, & sicut fons aquarum,  
cuius non deficient aquæ. Et ædi-  
ficabuntur in te deserta sœculō-  
rum: fundamenta generatiōnis  
& generatiōnis suscitābis: & vo-  
cāberis ædificātor sepium, auér-  
tens sémitas in quietem. Si auér-  
teris à sabbato pedem tuum, face-  
re voluntatem tuam in die sancto  
meo, & vocaueris sabbatum deli-  
cātum, & sanctum Domini glo-  
riōsum, & glorificaueris eum dum  
non facis vias tuas, & non inueni-  
tur volūntas tua, vt loquaris ser-  
mōnem: Tunc delectaberis super  
Dominō, & sustollam te super al-  
titudines terræ, & cibabo te here-  
ditate Iacob patris tui. Os enim  
Domini locūtum est.

Graduale. Vnam pétij à Domi-  
no, hanc requiram, vt inhábitem in  
domo Domini. V. Ut videam vo-  
luptatem Domini: & protégar à tem-  
plo sancto eius.

Secundum Marcum.

**I**n illo tempore: Cùm sero es-  
set, erat nauis in medio mari,  
& Iesus solus in terra. Et videns  
discípulos suos laborantes in re-  
migando (erat enim ventus con-  
trarius eis) & circa quartam vigí-  
liam noctis venit ad eos ambulans  
supra mare: & volébat præterire  
eos. At illi vidérunt eum am-



bulantem supra mare, putauérunt phantásma esse: & exclamauérunt. Omnes enim vidérunt eum, & conturbáti sunt. Et statim locútus est cum eis, & dixit eis: Confidite, ego sum, nolite timere. Et ascéndit ad illos in nauim, & cessáuit ventus. Et plus magis intra se stupébant: non enim intellexérunt de pánibus: erat enim cor eórum obcæcátum. Et cùm transfretássent, venérunt in terram Genésareth, & applicuérunt. Cumque egréssi essent de naui, continuò cognouérunt eum: & percurréntes vniuersam regiōnem illam, cœpérunt in grabatis eos, qui se malè habébant, circumférre, vbi audiébant eum esse. Et quocumque introībat, in vicis, vel in villas, aut ciuitates, in pláteis ponébant infirmos, & depreca-bántur eum, vt vel simbriam vestimenti eius tangerent: & quotquot tangébant eum, salui fíebant.

Oftorium. Dómine, viuífica me secúndūm eloquium tuum: vt sciam testimónia tua. Secreta.

**S**Vscipe Dómine sacrificiūm, scuius te voluísti dignánter immolatiōne placári: præsta quæsumus; vt huius operatiōne mundati, beneplácitum tibi nostrā mentis offerāmus afféctum. Per Dóminum nostrum.

Aliæ Secretæ, vt in Feria qua-  
ta Cinerum. fol. 71.

Communio. Seruítate Dómino in timore, & exultáte ei cum tremore: apprehéndite disciplinam, ne pereáts de via iusta.

Postcommunio.

**C**Ælestis vitæ mīnere vege-tati, quæsumus Dómine: vt quod est nobis in præsenti vita mystérium, fiat æternitatis auxílium. Per Dóminum nostrum.

Aliæ Postcommuniones, vt in Feria iiiij. Cinerum. fol. 71.

Super populum. Orémus.  
Humiliatè cápita vestra Deo.

Oratio.

**F**Idéles tui Deus, per tua dona firméntur: vt éadem & percipiéndo requírant, & quæréndo sine fine percípiant. Per Dñm.

## DOMINICA I.

in Quadragesima.

Statio ad Sanctum Ioannem  
in Laterano. Introitus.



Nuocábit mé, & ego ex-  
audiām eum: eripiam  
eum, & glorificábo eum:  
longitudine diérum ad-  
implébo eum. Psalmus. Qui hábitat  
in adiutorio Altissimi: in protectione  
Dei cæli commorábitur. y. Glória  
Patri. ibid.

Oratio.

**D**eus, qui Ecclésiam tuam  
ánnua quadragesimáli obseruatōne purificas: præsta familiæ tuæ, vt quod à te obtinére abstínéndo nítitur, hoc bonis opéribus exequâtur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

Ad poscenda suffragia Sanctorum. Oratio.

**A**cunctis nos, quæsumus  
Dómine, mentis & cörperis  
defende periculis: & intercedente  
beata & gloriósa semper

virgine

vírgine Dei genitrice María, cum  
beatis Apóstolis tuis Petro & Pau-  
lo, atque beáto N. & ómnibus  
Sanctis, salútem nobis tríbue be-  
nignus & pacem; vt, destrúctis  
aduersitátibus & erroribus vni-  
uérsis, Ecclésia tua secúra tibi sér-  
uat libertatē.

Pro viuis & defunctis. Oratio.

**O**MNÍPOTĒS sempiterne Deus,  
qui viuōrum domināris sim-  
mul & mortuōrum, omniūm-  
que miserēris, quos tuos fide &  
ópere futuros esse prænoscis: te  
súpplices exorāmus; vt, pro qui-  
bus effundere preces decreuimus,  
quosque vel præsens sæculum ad-  
huc in carne rétinet, vel futūrum  
iam exūtos cörpore suscēpit; inter-  
cedéntibus ómnibus Sanctis tuis,  
piétatis tuæ cleméntia, ómnium  
delictōrum suōrum véniam con-  
sequántur. Per Dóminum nostrum  
Iesum Christum Fílium tuum.

**L**ectio Epistolæ beati Pauli  
Apóstoli ad Corínthios.

**F**RATRES, Exhortámur vos, ne  
in yácuum grátiam Dei reci-  
piáatis. Ait enim: Témpore accé-  
pto exaudíui te, & in die salútis  
adiúui te. Ecce nunc tempus ac-  
ceptabile, ecce nunc dies salútis.  
Némini dantes vllam offensiō-  
nem, vt non vituperétur ministé-  
rium nostrum: sed in ómnibus ex-  
hibeámus nosmetípsos sicut Dei  
minístros, in multa patientia, in  
tribulatiōnibus, in necessitatibus,  
in angústiis, in plagis, in carcéri-  
bus, in seditionibus, in labóribus,  
in vigilijs, in ieíunijs, in castitāte,

in sciéntia, in longanimitatē, in  
fúauitāte, in Spíritu sancto, in cha-  
ritatē non ficta, in verbo veritatis,  
in virtutē Dei, per arma iustitiæ à  
dextris, & à sinistris; per glóriam,  
& ignobilitatēm; per infamiam,  
& bonam famam; vt seductores,  
& veráces; sicut qui ignoti, &  
cogniti: quasi morientes, & ecce  
víuimus: vt castigati, & non mórti-  
ficati: quasi tristes, semper au-  
tem gaudentes: sicut egéntes, mul-  
tos autem locupletantes: tam-  
quam nihil habentes, & ómnia  
possidentes.

Graduale. Angelis suis Deus mári-  
dáuit de te, vt custodiant te in ómnī-  
bus viis tuis. ¶ In máníbus portá-  
bunt te, ne vñquam offendas ad lápi-  
dem pedem tuum.

Tractus. Qui hábitat in adiutó-  
rio Altissimi, in protectione Dei cæli  
commorabitur. ¶ Dicet Dómino:  
Suscéptor meus es tu, & refúgium  
meum, Deus mneus: sperábo in eum.

¶ Quóniam ipse liberáuit me de lá-  
queo venantium, & à verbo áspero.

¶ Scápolis suis obumbrábit tibi, &  
sub pennis eius sperábis. ¶ Scuto cir-  
cundabit te vériitas eius: non timébis à  
timore nocturno. ¶ A sagitta volán-  
te per diem, à negócio perambulante  
in tenebris, à ruina & dæmonio meri-  
diáno. ¶ Cadent à latere tuo mille, &  
decem mília à dextris tuis: tibi autem  
non appropinquábit. ¶ Quóniam

Angelis suis mandáuit de te, vt custo-  
diant te in ómnibus viis tuis. ¶ In  
máníbus portábunt te, ne vñquam  
offendas ad lápidem pedem tuum.  
¶ Super áspidem & basiliscum am-

bulâbis, & conculcâbis leônen & draconem. *y.* Quóniam in me sperâuit, liberâbo eum: prôtegam eum, quóniam cognôuit nomen meum. *y.* In uocâbit me, & ego exáudiam eum: cum ipso sum in tribulatiône. *y.* Erípiam eum, & glorificâbo eum: longitûdine diérum adimplêbo eum, & osténdam illi salutare meum.

Sequentia sancti Euangélij secundum Matthæum.

**I**n illo tempore: Ductus est Iesus in desértum à Spíritu, vt tentaretur à diábolo. Et cùm ieunáset quadraginta diébus, & quadraginta noctibus, póstea esuriit. Et accédens tentâtor, dixit ei: Si Fílius Dei es, dic vt lápides isti panes fiant. Qui respóndens, dixit: Scriptum est: Non in solo pane viuit homo: sed in omni verbo, quod procédit de ore Dei. Tunc assúmpsit eum diábolus in sanctam ciuitatē, & státuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei: Si Fílius Deies, mitte te deórsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandauit de te, & in manib⁹ tollent te, ne forte offendas ad lápidem pedem tuum. Ait illi Iesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dóminum Deum tuum. Iterum assúmpsit eum diábolus in montem excélsum valdè: & osténdit ei ómnia regna mundi, & glóriam eorum, & dixit ei: Hæc ómnia tibi dabo, si cadens adoráueris me. Tunc dicit ei Iesus: Vade Sátana: Scriptum est enim: Dóminum Deum tuum adorâbis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum diá-

bolus: & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. *C* redo.

Oftertorium. *S* cálulis suis obumbrâbit tibi Dóminus, & sub pennis eius sperâbis: scuto circúmdabit te véritas eius.

Secreta.

**S**acrificium quadragesimális inítiij solémniter immolâmus, te Dñe deprecántes: vt cum epulârū restrictione carnálium, à noctiis quoque voluptáribus tempe-rémus. Per Dñm. Aliæ Secretæ.

**E**xaudi nos Deus salutâris noster: vt per huius sacramenti virtutem, a cunctis nos mentis & corporis hóstibus tueâris; grátiā tribuens in præsenti, & glóriam in futuro.

**D**eus, cui soli cōgnitus est númerus electòrum in supérna felicitate locândus: tríbue quæsumus, vt intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, vniuersòrum, quos in oratiōne commendátos suscépiimus, & ómnium fidélium nómina, beatæ prædestinatiōnis liber adscripta retineat. Per Dóminum.

Communio. *S* cálulis suis obumbrâbit tibi Dóminus, & sub pennis eius sperâbis: scuto circúmdabit te véritas eius.

Postcommunio.

**T**ibi nos, Dómine, sacramenti libatio sancta restâuret: & à vetustate purgátos, in mysterijs salutâris faciat transire consortium. Per Dóminum nostrum.

Aliæ Postcommuniones.

**M**undet & muniat nos, quæsumus Dómine, diuini sacramenti munus oblátum: & intercedente beata vírgine Dei genitrice

nitrice

nitrice María, cum beatis Apóstolis tuis Petro & Paulo, atque beato N. & omnibus Sanctis; à cunctis nos reddat & peruersitatis expiatos, & aduersitatis expeditos.

**P**erfríscant nos, quæsumus omnipotens & misericors Deus, sacramenta quæ sumpsimus, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis, præsta: vt hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam: sit ablútio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra omnia mundi pericula firmamentum; sit viuorum atque mortuorum fidélium, remissio omnium delictorum. Per Dñm.

## FERIA SECUNDA.

*Statio ad sanctum Petrum ad Vincula.* Introitus.

 Iicut oculi seruorum in manib⁹ dominorū suōrum: ita oculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereatur nobis: miserere nobis Dómine, miserere nobis. Psalm. A de te leuáui oculos meos: qui hábitas in cælis. **¶**. Glória Patri. Oratio.

**C**onuerte nos Deus salutaris noster: & vt nobis iejunium quadragesimale proficiat, mentes nostras cælestibus instrue disciplinis. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, vt in Dominica præcedenti. fol. 76.

**L**ectio Ezechielis Prophétæ.  
**H**æc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipse requiram

oues meas, & visitabo eas. Sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatârum: sic visitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis & caliginis. Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam: & pascam eas in montibus Israël, in riuis, & in cunctis sedibus terræ. In pascuis vberimis pascam eas, & in montibus excelsis Israël erunt pascua eârum: ibi requiescent in herbis viréntibus, & in pascuis pinguis pascetur super montes Israël. Ego pascam oues meas: & ego eas accubare faciam, dicit Dóminus Deus. Quod perierat, requiram, & quod abiectum erat, reducam, & quod confractum fuerat, alligabo, & quod infirmum fuerat, consolidabo, & quod pingue & forte, custodiā: & pascam illas in iudicio, dicit Dóminus omnipotens.

Graduale. Protector noster aspi- ce Deus, & respice super seruos tuos. **¶**. Dómine Deus virtutum, exaudi preces seruorum tuorum.

Tractus. Dómine, non secundum peccata nostra, quæ fecimus nos, neque secundum iniquitates nostras retribus nobis. **¶**. Dómine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquatum: cito anticipent nos misericordiae tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. **¶**. \* Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Dómine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Sequentia sancti Euangeliij  
secundum Matthaeum.

**I**n illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab iniucem, sicut pastor segregat oves ab hædis: & statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris. Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutiōne mundi. Esurui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti dicentes: Dómine, quando te vidiimus esuriéntem, & páuimus te: sitiéntem, & dédimus tibi potum? quando autem te vidiimus hóspitem, & collégimus te: aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te vidiimus infirmum, aut in carcere, & vénimus ad te? Et respondens Rex, dicet illis: Amen dico vobis, quādiu fecistis vni ex his fratribus meis mínimis, mihi fecistis. Tunc dicet his, qui à sinistris erunt: Discédite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & ángelis eius. Esurui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, &

non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt ei, & ipsi, dicentes: Dómine, quando te vidiimus esuriéntem, aut sitiéntem, aut hóspitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrávimus tibi? Tunc respondēbit illis, dicens: Amen dico vobis: Quādiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum; iusti autem in vitam æternam.

**O**ffertorium. *L*eúabo óculos meos,  
& considerabo mirabilia tua Dómine,  
vt dóceas me iusticias tuas: da mihi  
intellec̄tum, & discam mandata tua.  
Psal. 118. 2. 5.

**S**ecreta.

**M**vnera tibi Dómine oblata  
sanctifica: nosque à peccatorum  
nostrorum máculis emunda. Per Dóminum.

**A**liæ Secretæ, vt in Dominica  
præcedenti. fol. 78.

**C**ommunio. *A*men dico vobis:  
quod vni ex mínimis meis fecistis, mihi  
fecistis: venite benedicti Patris mei,  
possidete paratum vobis regnum ab  
initio sæculi. **P**ostcommunio.  
Mat. 2. 5.

**S**alutaris tui, Dómine, múnere  
satiati, supplices exorâmus: vt  
cuius lætamur gustu, renouemur  
effectu. Per Dominum.

**A**liæ Postcommuniones, vt in  
Dominica præcedenti. fol. 78.

**S**uper populum. *O* remus.

**H**umiliâte capita vestra Deo.

**O**ratio.

**A**bsolue, quæsumus Dómine,  
nostrorum víncula pec-

**c**atô-

catorum: & quidquid pro eis meremur, propitiatus auerte. Per Dominum nostrum.

## FERIA TERTIA.

Statio ad sanctam Anastasiam.

Introitus.

P. 89  
l. bid. Ominē, refūgium factus es nobis à generatione & progenie: à sāculo & in sāculum tu es. Psalm. Prīusquam montes fierent, aut formarētur terra & orbis: à sāculo & usque in sāculum tu es Deus. y. Glória Patri.

Oratio.

I. 51a  
55.b R. Espice Dómine familiam tuam, & præsta: vt apud te mens nostra tuo desiderio fulgeat, quæ se carnis maceratiōne castigat. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, vt in Dominica præcedenti. fol. 76.

Lectio Isaiae Prophetae.

I. 51a  
55.b In diēbus illis: Locutus est Isaías Propheta, dicens: Quærite Dóminum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum propè est. De-relinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dóminum, & miserabitur eius, & ad Deum nostrum: quóniam multus est ad ignoscendum. Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ: neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dóminus. Quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Et quómodo descendit imber, & nix de cælo, & illuc v-

trà non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egrediatur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud: ait Dóminus omnipotens.

Graduale. D. irigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, Dómine. y. Eleuatio manuum mearum, sacrificium vespertinum.

S equentia sancti Euangeliij secundum Matthæum.

M. 21. l. 40 In illo tempore: Cùm intrasset Iesus Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? Populi autem dicabant: Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ. Et intrauit Iesus in templum Dei, & eiiciébat omnes vendentes, & ementes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium collumbas euertit: & dicit eis: Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latrōnum. Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo: & sanauit eos. Videntes autem Principes sacerdotum, & Scribæ, mirabilia quæ recit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosanna filio Dauid: indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Vtique. Numquam legistis: Quia ex ore infantium & lactentium

perfecisti laudem? Et relictis illis,  
abiit foras extra ciuitatem in Be-  
thaniam: ibique mansit.

Offertorium. In te sperauimus Dómi-  
ne: dixi: Tu es Deus meus, in manibus  
tuis tempora mea. Secreta.

**O** Blatis, quæsumus Dómine,  
placare muneribus: & à cun-  
ctis nos defende periculis. Per Dó-  
minum nostrum.

Aliæ Secretæ, vt in Dominica  
præcedenti. fol. 78.

Communio. Cùm inuocarem te,  
exaudiisti me, Deus iustitiae meæ: in  
tribulatiōne dilatasti me: miserere mihi  
Dómine, & exaudi oratiōnem meam.

Postcommunio.

**Q**uæsumus omnipotens Deus:  
vt illius salutaris capiamus  
effectum, cuius per hæc mysteria  
pignus accépimus. Per Dñm.

Aliæ Postcommuniones, vt in  
Dominica præcedenti. fol. 78.

Super populum. O rēmus.

Humiliate capita vestra Deo.

Oratio.

**A**scendant ad te, Dómine,  
preces nostræ: & ab Ecclesia  
tua cunctam repelle nequitiam.  
Per Dóminum nostrum.

## FERIA QVARTA.

Quatuor Temporum Quadrag.  
Statio ad S. Mariam maiorem.

Introitus.

**R**eminiscere miserationum  
tuarum Dómine, & miseri-  
cordiæ tuæ, quæ à saeculo  
sunt: ne umquam do-  
minentur nobis inimici nostri: libera  
nos Deus Israël ex omnibus angustiis

nostris. Psalmus. Ad te Dómine le-  
uáui animam meam: Deus meus in te  
confido, non erubescam. y. Gló-  
ria Patri.

Post Kyrie eleison dicitur, O rē-  
mus. Flectamus genua. R. Leuâte.

Oratio.

**P**Reces nostras, quæsumus Dó-  
mine, clementer exaudi: &  
contra cuncta nobis aduersantia,  
dexteram tuæ maiestatis extende.  
Per Dóminum nostrum.

Lectio libri Exodi.

**I**n diēbus illis: Dixit Dóminus  
ad Móysen: Ascende ad me in  
montem: & esto ibi: dabòque tibi  
tabulas lapideas, & legem ac man-  
dáta quæ scripsi: vt dôceas filios  
Israël. Surrexerunt Móyses & Iosue  
minister eius: ascendensque  
Móyses in montem Dei, senioribus  
ait: Expectate hîc donec re-  
uertâmur ad vos. Habetis Aaron  
& Hur vobiscum: si quid natum  
fuerit quæstiōnis, referêtis ad eos.  
Cumque ascendisset Móyses, opé-  
ravit nubes montem, & habitauit  
glória Dómini super Síni, tegens  
illum nube sex diēbus: séptimo  
autem die vocauit eum de médio  
caliginis. Erat autem sp̄cies gló-  
riae Dómini, quasi ignis ardens su-  
per vérticem montis, in conspéctu  
filiorum Israël. Ingredensque Móy-  
ses médium nébulæ, ascéndit in  
montem: & fuit ibi quadraginta  
diēbus, & quadraginta noctibus.

Graduale. Tribulationes cordis  
mei dilatatae sunt: de necessitatibus  
meis éripe mè Dómine. y. Vide hu-  
militatem meam, & laborem meum.

& dimítte ómnia peccáta mea.

Hic non dicitur Flectámus gánuia.  
sed y. Dóminus vobiscum.

O rémus. Oratio.

**D**euotíonem pópuli tui, quæsumus Dómine, benignus inténde: vt qui per abstinentiam macerántur in corpore, per fructum boni óperis reficiántur in mente. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, vt in Dominica præcedenti. fol. 76.

L éctio libri Regum.

**I**n diébus illis: Venit Elías in Bersabée Iuda, & dimisit ibi puerum suum, & perréxit in desertum, viam vnius diéi. Cumque venisset, & sedéret subter vnam iuniperum: petiuit ánimæ suæ vt morerétur, & ait: Sufficit mihi Dómine, tolle ánimam meam: neque enim mélior sum, quām patres mei. Proiecítque se, & obdormiuit in umbra iuniperi: & ecce Angelus Dómini téigit eum, & dixit illi: Surge, & cómede. Respéxit, & ecce ad caput suum subcinerícius panis, & vas aquæ: comédit ergo & bibt, & rursum obdormiuit. Reuersusque est Angelus Dómini secundò, & téigit eum, dixítque illi: Surge, cómede: grandis enim tibi restat via. Qui cùm surrexisset, comédit & bibt, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diébus, & quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb.

Tractus. De necessitatibus meis éripe me Dómine: vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte

ómnia peccáta mea. y. Ad te Dómine leuáui ánimam meam: Deus meus in te confido, non erubescam: neque irrídeant me inimici mei. y. Etenim vniuérsi, qui te expéctant, non confundéntur: confundántur omnes facientes vana.

S equentia sancti Euangélij secundum Matthæum.

**I**n illo tempore: Respondérunt Iesu quidam de Scribis & Pharisæis, dicentes: Magíster, vólumus à te signum videre. Qui respóndens, ait illis: Generatio mala & adúltera signum quærit: & signum non dábitur ei, nisi signum Ionæ Prophétæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diébus, & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diébus, & tribus noctibus. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatiōne ista, & condemnábunt eam: quia pœnitentiam egérunt in prædicatiōne Ionæ. Et ecce plus quām Ionas hic. Reginæ Austri surget in iudicio cum generatiōne ista, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire sapiéntiam Salomoni; & ecce plus quām Sálomon hic. Cùm autem immundus spíritus exierit ab homine, ambulat per loca árida, quærēs réquiem, & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et véniens, inuenit eam vacántem, scopis mundatam, & ornátam. Tunc vadit, & assūmit septem álios spíritus secum nequióres se, & intrantes hábitant ibi: & fiunt nouissimi

ma hóminis illius peiôra prióribus. Sic erit & generatióni huic pessimæ. Adhuc eo loquénte ad turbas, ecce mater eius & fratres stabant foris, quæréntes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quæréntes te. At ipse respóndens dicénti sibi, ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et exténdens manum in discípulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicúmque enim fécerit voluntátem Patris mei, qui in cælis est: ipse meus frater, & soror, & mater est.

Oftertorium. Meditábor in mandátis tuis, quæ diléxi valdè: & leuábo manus meas ad mandátâ tua, quæ diléxi.

#### Secreta.

**H**ostias tibi, Dñe, placatiōnis oftérimus: vt & delicta nostra miserátus absoluas, & nuntiā corda tu dirigas. Per Dñm.

Aliæ Secretæ, vt in Dominica præcedenti. fol. 78.

Communio. Intéllige clamòrem meum: inténde voci oratiōnis meæ, Rex meus, & Deus meus: quóniam ad te orâbo Dómine. Postcommunio.

**T**ibi Dómine perceptione sacraménti, & à nostris mundémur occultis, & ab hóstium liberémur insidiis. Per Dóminum.


Aliæ Postcommuniones, vt in Dominica præcedenti. fol. 78.

Super populum. O rēmus. Humiliâte capita vestra Deo. Oratio.

**M**entes nostras, quæsumus Dómine, lúmine tuæ claritatis illústra: vt videre possimus

quæ agénda sunt, & quæ recta sunt, ágere valeámus. Per Dñm.

#### FERIA QVINTA. Statio ad sanctum Laurentium in Paneperna. Introitus.



Onfeſſio & pulchritûdo in conspéctu eius: sánctitas & magnificéntia in sanctificatione eius. Psal. C antâte Dómino cápticum nouum: cantâte Dómino omnis terra. y. Glória Patri.

#### Oratio.

**D**euotiōnem pôpuli tui, quæ sumus Dómine, benignus inténde: vt qui per abstinentiam macerántur in corpore, per fructum boni óperis reficiantur in mente. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, vt in Dominica præcedenti. fol. 76.

Léctio Ezechiélis Próphétæ.

**I**n diébus illis: Factus est sermo Dómini ad me, dicens: Quid est quòd inter vos parabolam vèritatis in prouerbium istud in terra Israël, dicéntes: Patres comedérunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt: Viuo ego, dicit Dóminus Deus, si erit ultrâ vobis parábola hæc in prouerbium in Israël. Ecce omnes animæ, meæ sunt: vt anima patris, ita & anima filij mea est: anima, quæ peccáuerit, ipsa moriétur. Et vir si fuerit iustus, & fecerit iudicium & iustitiam, in móntibus non coméderit, & óculos suos non leuáuerit ad idôla domus Israël: & vxorem próximi sui non violáuerit, & ad mulierem menstruâ-

tam non accésserit : & hóminem non contristáuerit : pignus debítori reddíderit, per vim nihil rapúerit: panem suum esuriénti déderit, & nudum operúerit vestimento : ad vsúram non commodáuerit, & ámplius non accéperit: ab iniuitate auérterit manum suam , & iudícium verum fecerit inter virum & virum: in præceptis meis ambuláuerit, & iudícia mea custodíerit , vt faciat veritátēm: hic iustus est, vita viuet, ait Dóminus omnípotens.

P. 16  
Graduale. C uftódi me Dómine ut pupillam óculi : sub vmbra alârum tuârum prótege me. ¶ De vultu tuo iudícium meum pródeat : óculi tui vídeant æquitâtēm.

S equentia sancti Euangélij secundum Matthæum.

M. 15.  
I N illo tempore : Egréssus Iesu secéssit in partes Tyri & Sidônis. Et ecce mûlier Chananæa à fínibus illis egrëssa clamâuit, dicens ei: Miserere mei Dómine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexâtur. Qui non respóndit ei verbum. Et accedéntes discípuli eius rogabant eum , dicentes: Dimítte eam: quia clamat post nos. Ipse autem respóndens, ait: Non sum mis-sus nisi ad oues, quæ periérunt domus Israël. At illa venit, & adorâuit eum, dicens: Dñe, adiuua me. Qui respóndens, ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere cànibus. At illa dixit: Etiam Dñe: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respóndens

Iesu, ait illi: O mûlier, magna est fides tua : fiat tibi sicut vis. Et sânta est filia eius ex illa hora.

Offertorium. I mmítet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, & eripet eos : gustâte, & videte, quóniam suâuis est Dóminus. Secreta.

**S**acrificia, Dómine quæsumus, propitijs ista nos saluent, quæ medicinâlibus sunt instituta ieñniis. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, vt in Dominica præcedenti. fol 78.

Communio. P anis quem ego dédero, caro mea est pro sæculi vita.

Postcommunio.

**T**ôrnum nos, Dómine, largitâte donôrum, & temporâlibus attolle præsidiis, & rénoua sempiternis. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, vt in Dominica præcedenti. fol. 78.

Super populum. O remus.

Humiliâte cápita vestra Deo. Oratio.

**D**a, quæsumus Dómine, populis Christiánis, & quæ profitentur agnoscere: & cælestè munus diligere , quod frequen-tant. Per Dóminum.

F E R I A S E X T A  
Quatuor Temporum Quadrag.

Statio ad sanctos duodecim Apostolos. Introitus.



E necessitatibus meis éripe me Dómine : vide humili-tatem meam , & laborem meum , & dimítte ómnia peccata mea. Psalm. Ad te Dñe leuáui animam meam , Deus meus in te con-fido, non erubescam. ¶ Glória Patri.

## Oratio.

**E**sto, Dómine, propítius plebi  
tuæ: & quam tibi facis esse  
deuôtam, benígnō réfoue miserâ-  
tus auxílio. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, vt in Domini-  
ca præcedenti. fol. 76.

### Léctio Ezechiélis Prophétæ.

**H**Æc dicit Dóminus Deus: A-  
nima, quæ peccáuerit, ipsa  
moriêtur: filius non portâbit ini-  
quitatem patris, & pater non por-  
tâbit iniquitatem filij: iustitia iusti  
super eum erit, & impietas ímpij  
erit super eum. Si autem ímpius  
égerit pœnitentiam ab ómnibus  
peccatis suis, quæ operátus est, &  
custodierit ómnia præcepta mea,  
& fécerit iudicium & iustitiam:  
vita viuet, & non moriêtur. Om-  
nium iniiquatum eius, quas ope-  
ratus est, non recordabor: in iu-  
stitia sua, quam operátus est, vi-  
uet. Numquid voluntatis meæ est  
mors ímpij, dicit Dominus Deus,  
& non vt conuertâtur à viis suis,  
& viuat? Si autem auérterit se iu-  
stus à iustitia sua, & fécerit iniqui-  
tatem secundùm omnes abomi-  
nationes, quas operari solet ímpius,  
numquid viuet? Omnes iu-  
stitiæ eius, quas fécerat, non recor-  
dabuntur: in præuaricatione qua  
præuaricatus est, & in peccato suo,  
quòd peccáuit, in ipsis moriêtur.  
Et dixistis: Non est æqua via Dó-  
mini. Audite ergo domus Israél:  
Numquid via mea non est æqua,  
& non magis viæ vestræ prauæ  
sunt? Cùm enim auérterit se iustus  
à iustitia sua, & fécerit iniquitâ-

tem, moriêtur in eis: in iustitia,  
quam operátus est, moriêtur. Et  
cùm auérterit se ímpius ab impie-  
tate sua, quam operátus est, & fé-  
cerit iudicium & iustitiam: ipse  
ánimam suam viuificabit. Consí-  
derans enim, & auérterens se ab óm-  
nibus iniquitatibus suis, quas ope-  
ratus est, vita viuet, & non moriêt-  
ur, ait Dóminus omnípotens.

Graduale. Saluum fac seruum  
tuum Deus meus sperántem in te.  
¶. Auribus pércepit Dómine orati-  
onem meam.

Tractus. Dómine, non secundùm  
peccata nostra, quæ fecimus nos, neque  
secundùm iniquitates nostras retrí-  
buas nobis. ¶. Dómine, ne memineris  
iniquatum nostrarum antiquarum:  
citò anticipent nos misericordia tuæ,  
quia páuperes facti sumus nimis.  
¶. \* Adiuua nos Deus salutarius no-  
ster: & propter glóriam nōminis tui  
Dómine libera nos: & propítius esto  
peccatis nostris propter nomen tuum.

S equentia sancti Euangélij  
secundùm Ioánnem.

**I**n illo tempore: Erat dies festus  
Iudæorum, & ascéndit Iesus Ie-  
rosolymam. Est autem Ierosolyma  
Probática piscina, quæ cognominatur Hebráicè Bethsáida,  
quinque pórticus habens. In his  
iacébat multitudo magna lan-  
guentium, cæcōrum, claudōrum,  
aridōrum, expectantium aquæ  
motum. Angelus autem Dómini  
descendebat secundùm tempus  
in piscinam: & mouebatur aqua.  
Et qui prior descendisset in piscinam  
post motiōnem aquæ, sanus

fiēbat

Psal.

104.

Hie  
gena-  
dicta-  
tur.

103.

fiēbat à quacumque detinebātur infirmitāte. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitāte sua. Hunc cūm vidīset Iesus iacentem, & cognouīset quia iam multum tempus habēret, dicit ei: Vis sanus fieri? Respōndit ei lānguidus: Dōmine, hōminem non hábeo, vt cūm turbāta fūerit aqua, mittat me in pīscīnam: dum vénio enim ego, álius ante me descéndit. Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabātum tuum, & ámbula. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabātum suum, & ambulābat. Erat autem sábbatum in die illo. Dicébant ergo Iudæi illi qui sanātus fūerat: Sábbatum est, non licet tibi tollere grabātum tuum. Respōndit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabātum tuum, & ámbula. Interrogauérunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabātum tuum, & ámbula? Is autem, qui sanus fūerat efféctus, nesciēbat quis esset. Iesus enim declināuit à turba constituta in loco. Pósteā inuénit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: iam noli peccāre, ne detérius tibi áliquid contíngat. Abiit ille homo, & nuntiāuit Iudæis, quia Iesus es-  
set, qui fecit eum sanum.

Psal. 101.  
Offertorium. Bénedic áima mea Dōmino, & noli obliuisci omnes retributíones eius: & renouábitur, sicut áquilæ, iuuéntus tua. Secreta.

S Vscipe, quæsumus Dōmine, múnera nostris oblata serui-

tiijs: & tua propítius dona sanctifica. Per Dōminum.

Aliæ Secretæ, vt in Dominica præcedenti. fol. 78.

Communio. E rubéscant & turbéntur omnes inimici mei: auer-tántur retrófsum, & erubéscant valde velociter. Postcommunio.

P Er huius, Dōmine, operatiō-nem mysterij, & vīta nostra purgémentur, & iusta desidēria compleántur. Per Dōmnium.

Aliæ Postcommuniones, vt in Dominica præcedenti. fol. 78.

Super populum. O rēmus. Humiliātē cāpita vestra Deo. Oratio. E Xaudi nos misericors Deus: & méntibus nostris grātiæ tuæ lumen osténde. Per Dñm.

## S A B B A T O

Quatuor Temporum Quādrag. Statio ad S. Petrum. Introitus.



Ntret oratio mea in con-spéctu tuo: inclína aurem tuam ad precem meam, Dōmine. Psalm: Dōmine Deus salūtis meæ: in die clamáui, & nocte coram te. Glória Patri.

Post Kyrie eleison, dicitur. O rē-mus. Flestāmus génuia. R. Leuāte.

Oratio. P Opulum tuum, quæsumus Dōmine, propítius réspice: atque ab eo flagella tuæ iracündiæ cleménter auérte. Per Dōminum.

L éctio libri Deuteronomij. I N diébus illis: Locútus est Móyses ad pōpulum, dicens: Quando compléueris décimam cunctarum frugum tuarum, lo-

quēris in conspéctu Dómini Dei  
tui: Abstuli quod sanctificatum  
est de domo mea, & dedi illud  
Leuitæ & aduenæ, & pupillo ac  
víduæ, sicut iussisti mihi: non præ-  
teriū mandata tua, nec sum obliti-  
tus impérij tui. Obediū voci Dñi  
Dei mei, & feci ómnia sicut præ-  
cepisti mihi. Réspice de sanctuá-  
rio tuo, & de excélsō cælōrum  
habitáculo, & bénedic pôpulo tuo  
Israël, & Terræ, quam dedisti no-  
bis, sicut iurásti pátribus nostris,  
terræ lacte & melle manánti. Hó-  
die Dóminus Deus tuus præcêpit  
tibi vt facias mandata hæc atque  
iudicia: & custódias & ímpreas ex  
toto corde tuo, & ex tota ánima  
tua. Dóminum elegisti hódie, vt  
sit tibi Deus, & ámbules in vijs  
eius, & custódias cæremónias il-  
lîus, & mandata atque iudicia, &  
obédias eius império. Et Dómi-  
nus elégit te hódie, vt sis ei pôpu-  
lus peculiâris, sicut locútus est tibi,  
& custódias ómnia præcepta il-  
lîus: & faciat te excelsiôrem cun-  
ctis géntibus quas créauit, in lau-  
dem, & nomen, & glóriam suam:  
vt sis pôpulus sanctus Dómini Dei  
tui, sicut locútus est.

Graduale Propítius esto Dómi-  
ne peccátis nostris: ne quando dicant  
Gentes, Vbi est Deus eòrum? y. Ad-  
uua nos Deus salutâris noster, & pro-  
tector honôrem nômiinis tui Dómine,  
íbera nos. Orémus. Flectâmus gênuia.  
y. Leuâte. Oratio.

P Rotéctor noster áspice Deus:  
vt, qui malôrum nôstrôrum  
pondere prémimur, percépta mi-

sericórdia líbera tibi mente famu-  
lêmur. Per Dóminum.

Léctio libri Deuteronomij.

Dominum.  
1.4  
**I**N diébus illis: Dixit Móyse sî-  
liis Israël: Si custodiéritis man-  
dâta, quæ ego præcipio vobis, &  
feceritis ea, vt diligâtis Dóminum  
Deum vestrum, & ambulétis in  
ómnibus vijs eius, adhæréntes ei,  
dispérdet Dñs omnes gentes istas  
ante faciem vestram, & possidébi-  
tis eas, quæ maiôres & fortiores vo-  
bis sunt. Omnis locus, quem cal-  
cáuerit pes vester, vester erit. A de-  
serto, & à Libano, à flûmine ma-  
gno Euphrâte, vsque ad mare Oc-  
cidentâle erût términi vestri. Nul-  
lus stabit contra vos: terrôrem ve-  
strum & formidinem dabit Dñs  
Deus vester super omnem terram  
quam calcatûri estis, sicut locútus  
est vobis Dóminus Deus vester.

Graduale. Protéctor noster áspi-  
ce Deus, & résponce super seruos tuos,  
y. Dómine Deus virtûtum, exaudi  
preces seruôrû tuôrum. Orémus. Fle-  
ctâmus gênuia. Rec. 8.5 Leuâte. Oratio.

**A**Désto, quæsumus Dómine,  
• Applicationibus nostris:

in supplicationibus nostris: vt  
esse, te largiente, mereâmur & in-  
ter próspera húmiles, & inter ad-  
uérafa secúri. Per Dóminum.

Léctio libri Machabæôrum.

Machab.  
1. f  
**I**N diébus illis: Orationem fa-  
ciébant omnes sacerdôtes, dum  
consummaréatur sacrificium, Ió-  
natha inchoânte; céteris autem  
respondéntibus. Et Nehemíæ er-  
rat oratio hunc habens modum:  
Dómine Deus ómniū créator,  
terribilis & fortis, iustus & misé-

ricors,

ricors, qui solus es bonus Rex, solus præstans, solus iustus, & omnipotens, & æternus, qui liberas Israël de omni malo, qui fecisti patres electos, & sanctificasti eos: accipe sacrificium pro vnuérso populo tuo Israël, & custodi partem tuam, & sanctifica: vt sciant Gentes, quia tu es Deus noster.

Pj. 89

Graduale. Conuértere Dñe aliquantulum, & deprecare super seruos tuos. ¶ Dñe refugium factus es nobis à generatione & progenie. O rēmus. Flectamus genua. R. Leuâte. Oratio.

**P**Reces populi tui, quæsumus Dñe, clementer exaudi: vt qui iuste pro peccatis nostris affligimur, pro tui nōminis glória misericorditer liberemur. Per Dñm.

Ecli  
36.

**M**iserere nostri Deus omnium, & respice nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum: & immite timorem tuum super Gentes, quæ non exquisierunt te, vt cognoscant quia non est Deus nisi tu, & enárrent magnalia tua. Alleua manum tuam super Gentes alienas, vt videant poténtiam tuam. Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in eis, vt cognoscant te, sicut & nos cognouimus, quoniam non est Deus præter te Dómine. Innoua signa, & immuta mirabilia. Glorifica manum, & brachium dextrum. Excita furorem, & effunde iram. Tolle aduersarium, & afflige inimicum. Festina tempus, & memento fi-

nis, vt enárrent mirabilia tua, Dómine Deus noster.

Graduale. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Dñe. ¶ Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. O rēmus. Flectamus genua. R. Leuâte. Oratio.

**A**ctiones nostras quæsumus Dómine, aspirando præueni, & adiuuando prossequere: vt cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te coepita finiatur. Per Dóminum.

Léctio Daniëlis Prophétæ.

**I**n diébus illis: Angelus Dómini descendit cum Azaria, & socijs eius, in fornacem: & excusit flamam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem. Flamma autem effundebatur super fornacem cùbitis quadranginta nouem: & erupit, & incendit quos réperit iuxta fornacem de Chaldæis ministros regis, qui eam incendabant. Et non tètigit eos omnino ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiae intulit. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant, & glorificabant, & benedicabant Deum in fornace, dicentes: Hic non respondetur, Deo grárias. Hymnus.

**B**enedictus es Dómine Deus patrum nostrorum. Et laudabilis & gloriòsus in sæcula.

Et benedictum nomen gloriae tuæ, quod est sanctum. Et laudabile & gloriòsum in sæcula.

**B**enedictus es in templo sancto gloriae tuæ. Et laudabilis & gloriòsus in sæcula.

**B**enedictus es super thronum sanctum regni tui. Et laudabilis & gloriōsus in saecula.

**B**enedictus es super sceptrum diuinitatis tuae. Et laudabilis & gloriōsus in saecula.

**B**enedictus es qui sedes super Cherubim, intuens abyssos. Et laudabilis, & gloriōsus in saecula.

**B**enedictus es qui ambulas super penas ventorum, & super vndas maris. Et laudabilis & gloriōsus in saecula.

**B**enedicant te omnes Angeli, & sancti tui. Et laudet te, & glorifcent in saecula.

**B**enedicant te caeli, terra, mare, & omnia quae in eis sunt. Et laudent te, & glorifcent in saecula.

**G**loria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Et laudabili & gloriōso in saecula.

**S**icut erat in principio, & nunc, & semper, & in saecula saeculorum, Amen. Et laudabili & gloriōso in saecula.

**B**enedictus es Domine Deus patrum nostrorum. Et laudabilis & gloriōsus in saecula.

Hic non dicitur, Flectamus genua, sed **y.** Dominus vobiscum.

O remus. Oratio.

**D**eus, qui tribus pueris mitigasti flamas ignium: concede propitiis; vt nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per Dominum.

Aliæ Orationes, vt in Dominica præcedenti. fol. 76.

**L**ectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Thessalonicenses.

**F**ratres, Rogamus vos, corrimate inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte

ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est sectamini in inuicem, & in omnes. Semper gaudete. Sine intermissione orate. In omnibus gratias agite: haec est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis. Spiritum nolite extinguiere. Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate: quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinetе vos. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela, in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.

**T**ractus. Laudate Dominum omnes Gentes: & collaudate eum omnes populi. **y.** Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in aeternum.

**E**vangelium. In illo tempore: Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum. vt in sequenti Dominica. fol. 92.

**O**ffertorium. Domine Deus salutis meæ, in die clamauimus, & nocte coram te: intret oratio mea in conspectu tuo Domine. Secreta.

**P**resentibus sacrificiis, quæsumus Domine, ieunia nostra sanctifica: vt quod obseruantia nostra profitetur extrinsecus, interioris operetur. Per Dominum.

Aliæ Secretæ, vt in Dominica præcedenti. fol. 78.

**C**ommunio. Domine Deus meus in te sperauimus, libera me ab omnibus persecutibus me, & eripe me.

**P**ostcommunio.  
**S**anctificationibus tuis, omnipotens Deus, & vita nostra

curéntur , & remédia nobis ætérna prouéniant. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones , vt in Dominica præcedenti. fol. 78.

Super populum. O rēmus.

Humiliâte capita vestra Deo.

Oratio.

**F**Idèles tuos, Deus, benedictio desiderata confirmet : quæ eos & à tua voluntate numquam faciat discrepâre , & suis semper indulgeat beneficijs gratulári. Per Dóminum nostrum.

## DOMINICA I.I.

in Quadragesima.

Statio ad sanctam Mariam

in Dominica. Introitus.

**R**eminiscere miserationum tuarum Dómine , & misericordiae tuæ , quæ à sœculo sunt : ne umquam dominentur nobis inimici nostri : libera nos Deus Israël ex omnibus angustiis nostris. Psalmus. Ad te Dómine leuavi animam meam : Deus meus in te confido , non erubescam. y. Glória Patri. Oratio.

**D**eus, qui cónspicis omni nos virtute destitui : intérius exteriisque custodi ; vt ab omnibus aduersitatibus muniâmur in corpore , & à prauis cogitationibus mundémur in mente. Per Dñm.

Ad poscenda suffragia Sanctorum. Oratio.

**A**cunctis nos , quæsumus Dómine , mentis & corporis defende periculis : & intercedente beata & gloriósa semper virginе Dei genitrice María , cum

beatis Apóstolis tuis Petro & Paulo , atque beato N. & omnibus Sanctis , salutem nobis tribue benignus & pacem ; vt , destructis aduersitatibus & erroribus vniuersis, Ecclésia tua secúra tibi seruat libertatem.

Pro viuis & defunctis. Oratio.

**O**Mnipotens sempiterne Deus , qui viuorum dominaris simul & mortuorum , omniumque misereris , quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis : te supplices exoramus ; vt , pro quibus effundere preces decreuimus , quoque vel præsens sæculum adhuc in carne rétinet , vel futurum iam exutos corpore suscepit , intercedentibus omnibus Sanctis tuis , pietatis tuæ cleméntia , omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dñm nostrum.

Læctio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Thessalonicenses.

**F**ratres , Rogamus vos & obsecramus in Dómino Iesu : vt , quemadmodum accepistis à nobis , quomodo opórteat vos ambulare , & placere Deo , sic & ambuletis , vt abundetis magis Scitis enim quæ præcepta déderim vobis per Dóminum Iesum. Hæc est enim voluntas Dei , sanctificatio vestra : vt abstineatis vos à fornicatione , vt sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione , & honore ; non in passione desiderij , sicut & Gentes , quæ ignorant Deum : & ne quis supergrediatur , neque circumueniat in negotio fratrem suum : quoniam

niam vindex est Dóminus de his  
ómnibus, sicut prædiximus vobis,  
& testificati sumus. Non enim  
vocauit nos Deus in immundí-  
tiam, sed in sanctificatiōnem: in  
Christo Iesu Dómino nostro.

Graduale. Tribulatiōnes cordis  
mei dilatatæ sunt: de necessitatibus  
meis éripe me Dómine. *V.* Vide hu-  
militatēm meam, & laborem meum:  
& dimitte ómnia peccata mea.

Tractus. Confitémini Dómino,  
quóniam bonus: quóniam in sœcu-  
lum misericordia eius. *V.* Quis lo-  
quétur poténtias Dómini: auditas fá-  
ciet omnes laudes eius? *V.* Beáti qui  
custodiunt iudicium, & fáciunt iusti-  
tiam in omni tempore. *V.* Meménto  
nostrī Dómine in beneplácito populi  
tui: visita nos in salutari tuo.

Sequentia sancti Euangélij  
secundum Matthæum.

**I**n illo tempore: Assumpsit Iesu  
Petrum, & Iacōbum, & Ioán-  
nem fratrem eius, & duxit illos  
in montem excélsūm seorsum: &  
transfiguratus est ante eos. Et re-  
splenduit fácies eius sicut sol: vesti-  
menta autem eius facta sunt alba  
sicut nix. Et ecce apparuerunt illis  
Móyses & Elías cum eo loquén-  
tes. Respóndens autem Petrus, di-  
xit ad Iesum: Dñe, bonum est nos  
híc esse: si vis, faciāmus híc tria ta-  
bernacula, tibi vnū, Móysi vnum,  
& Eliae vnum. Adhuc eo loquén-  
te, ecce nubes lúcida obumbráuit  
eos. Et ecce vox de nube, dicens:  
Hic est Filius meus dilectus, in  
quo mihi benè complácui: ipsum  
audite. Et audiéntes discípuli, ce-

ciderunt in fáciem suam, &  
tmuerunt valde. Et accéssit Iesu,  
& tétigit eos: dixitque eis: Súrgi-  
te, & nolite timere. Leuantes au-  
tem óculos suos, néminem vidé-  
runt, nisi solum Iesum. Et descen-  
dētibus illis de monte, præcēpit  
eis Iesu, dicens: Némini dixeritis  
visiōnem, donec Filius hóminis  
à mórtuis resurgat. *Credo.*

Offertorium. Meditabor in man-  
datis tuis, quæ diléxi valde: & leuâ-  
bo manus meas ad mandata tua, quæ  
diléxi.

Secreta.

**S**acrificijs præsentibus, Dómi-  
ne quæsumus, intende placá-  
tus: vt & deuotio nostraræ profi-  
ciant, & saluti. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ.

**E**xaudi nos Deus salutaris no-  
ster: vt per huius sacramé-  
ti virtutem, a cunctis nos mentis  
& corporis hóstibus tuearis; grá-  
tiam tribuens in præsenti, & gló-  
riam in futuro.

**D**eus, cui soli cognitus est ní-  
merus electórum in supérrna  
felicitate locandus: tribue quæsumus,  
vt intercedentibus ómnibus  
Sanctis tuis, vniuersorum, quos in  
oratiōne commendatos suscepimus,  
& ómnium fidélium nómina,  
beátæ prædestinatiōnis liber  
adscripta retineat. Per Dóminum  
nostrum.

Communio. Intellige clamorem  
meum: intende voci orationis meæ,  
Rex meus, & Deus meus: quóniam ad  
te orabo Dómine. Postcommunio.

**S**upplies te rogāmus, ómni-  
potens Deus: vt quos tuis réfi-

cis sacraméntis, tibi étiam plácitis  
móribus dignánter deseruître con-  
cédas. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones.

**M**Vndet & múniat nos, quæ-  
sumus Dómine, diuíni sa-  
craménti munus oblátum: & in-  
tercedénte béata vírgine Dei ge-  
nitrice María, cum beátis Apó-  
stolis tuis Petro & Paulo, atque  
béato N. & ómnibus Sanctis; à  
cunctis nos reddat & peruersitá-  
tibus expiátos, & aduersitáibus  
expeditos.

**P**Vríficent nos, quæsumus om-  
nipotens & miséricors Deus,  
sacraménta quæ súmpsimus: &  
intercedéntibus ómnibus Sanctis  
tuis, præsta; vt hoc tuum sacra-  
mémentum non sit nobis réatus ad  
poenam, sed intercéssio salutá-  
ris ad véniam: sit ablútio scéle-  
rum, sit fortitudo fragílium, sit  
contra ómnia mundi perícula fir-  
maméntum, sit viuôrum atquè  
mortuôrum fidélium, remissio  
ómnium delictórum. Per Dñm.

## FERIA SECUND A.

*Statio ad S. Clementem. Introitus.*

E*di me Dómine, &*  
  
*miserere mei: pes enim*  
*meus stetit in via recta: in*  
*ecclésia benedícam Dó-*  
*minum. Psalmus. Iúdica me Dómi-*  
*ne, quóniam ego in innocentia mea*  
*ingréssus sum: & in Dómino sperans,*  
*non infirmábor.. y. Glória Patri.*

Oratio.

**P**Ræsta quæsumus omnípotens  
Deus: vt família tua, quæ se,

affligéndo carnem, ab aliméntis  
ábstinet, sectándo iustítiam, à cul-  
pa ieíunet. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, vt in Dominica  
præcedenti. fol. 91.

Léctio Daniélis Prophétæ.

**I**N diébus illis: Oráuit Dániel  
Dóminum, dicens: Dñe Deus  
noster, qui eduxísti pôpulū tuum  
de terra Ægypti in manu forti, &  
fecísti tibi nomen secundum diem  
hanc: peccáuimus, iniquitatem fé-  
cimus, Dñe in omnem iustitiam  
tuam: auertatur óbsecro ira tua, &  
furor tuus, à ciuitate tua Ierusalē,  
& monte sancto tuo. Propter pec-  
cata enim nostra, & iniquitates  
patrum nostrorum, Ierusalem &  
pôpulus tuus in opprobrium sunt  
ómnibus per circúitum nostrum.  
Nunc ergo exaudi Deus noster  
oratiōnem serui tui, & preces eius:  
& osténde faciem tuam super san-  
ctuariū tuum, quod desértum  
est propter temetípsum. Inclína  
Deus meus aurem tuam, & audi:  
áperi óculos tuos, & vide desola-  
tiōnem nostram, & ciuitatē su-  
per quam inuocātum est nomen  
tuum: neque enim in iustificatiō-  
níbus nostris prostérnimus preces  
ante faciem tuam, sed in misera-  
tiōnibus tuis multis. Exaudi Dó-  
mine, placare Dómine: atténde &  
fac: ne moréris propter temetípsum  
Deus meus: quia nomen  
tuum inuocātum est super ciuitatē,  
& super pôpulum tuum, Dó-  
mine Deus noster.

Graduale. A diutor meus, & liberá-  
tor meus esto: Dómine ne tardáueris.

**V** Confundantur, & reuereantur ini-  
mici mei, qui querunt animam meam.

**T**ractus. Dómine, non secundum  
peccata nostra, quæ fecimus nos, neque  
secundum iniquitates nostras retribuas  
nobis. **V**.

Dómine, ne memineris ini-  
quatum nostrum antiquarum: ci-  
tò anticipent nos misericordiae tuæ,  
quia páuperes facti sumus nimis.

**V**. \* Adiuua nos Deus salutaris no-  
ster: & propter gloriam nominis tui  
Dómine libera nos: & propitius esto  
peccatis nostris propter nomen tuum.

Sequentia sancti Euangélii  
secundum Ioánnem.

**I**n illo tempore: Dixit Iesus tur-  
bis Iudæorum: Ego vado, &  
querétis me, & in peccato vestro  
moriémini. Quò ego vado, vos  
non potestis venire. Dicébant er-  
go Iudæi: Numquid interficiet  
femetísum, quia dicit: Quò ego  
vado, vos non potestis venire? Et  
dicébat eis: Vos de déorsum estis,  
ego de supérnis sum. Vos de mun-  
do hoc estis, ego non sum de hoc  
mundo. Dixi ergo vobis, quia mori-  
émini in peccatis vestris: si enim  
non credidéritis quia ego sum,  
moriémini in peccato vestro. Di-  
cébant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis  
Iesus: Princípium, qui & loquor  
vobis. Multa hábeo de vobis lo-  
qui, & iudicare. Sed qui me misit,  
verax est: & ego quæ audíui ab eo,  
hæc loquor in mundo. Et non  
cognouerunt quia Patrem eius di-  
cēbat Deum. Dixit ergo eis Iesus:  
Cùm exaltaueritis Fílium hómi-  
nis, tunc cognoscétis quia ego  
sum, & à meislo facio nihil: sed

sicut dociuit me Pater, hæc loquor:  
& qui me misit, mecum est, & non  
relíquit me solum: quia ego, quæ  
placita sunt ei, facio semper.

**O**ffertorium. Benedicam Dómi-  
num, qui trübuit mihi intellectum:  
proudébam Dóminum in conspectu  
meo semper: quóniam à dextris est mi-  
hi, ne commouear. **S**ecreta.

**H**æc hóstia, Dómine, placa-  
tionis & laudis tua nos pro-  
tectione dignos efficiat. Per Dñm.

Aliæ Secretæ, vt in Dominica  
præcedenti. fol. 92.

**C**ommunio. Dómine Dóminus  
noster, quām admirabile est nomen  
tuum in vniuersa terra! **P**ostcomm.

**H**æc nos communio, Dómi-  
ne, purget à crímine: & cæ-  
lestis remédijs faciat esse consor-  
tes. Per Dóminum nostrum.

Aliæ Postcommuniones, vt in  
Dominica præcedenti. fol. 93.

**S**uper populum. O rēmus.  
Humiliate capita vestra Deo. **O**ratio.

**A**déstō supplicationibus no-  
stris omnipotens Deus: &  
quibus fiduciam sperandæ pietati-  
s indulgés; consuetæ misericór-  
diaz tribue benignus effectum. Per  
Dóminum nostrum.

### FERIA TERTIA.

*Statio ad S. Balbinam. Introitus.*

 Ibi dixit cor meum, quæ-  
síui vultum tuum, vultum  
tuum Dómine requíram:  
ne auertas faciem tuam à  
me. **P**salmus. Dóminus illuminatio  
mea, & salus mea: quem timébo?  
**V**. Glória Patri.

Oratio.

**P**erfice, quæsumus Dómine,  
benignus in nobis obseruán-  
tiæ sanctæ subsídium: vt quæ te  
auetore facienda cognouimus, te  
operante impleámus. Per Dñm.

Aliæ Orationes, vt in Dominicæ  
præcedenti. fol. 91.

Léctio libri Regum.

**I**n diébus illis: Factus est sermo  
Dómini ad Elíam Thesbítén,  
dicens: Surge, & vade in Sarépta  
Sidoniórum, & manébis ibi: præ-  
cépi enim ibi mulieri víduæ vt  
pascat te. Surréxit, & ábijt in Sa-  
répta. Cumque venísset ad por-  
tam ciuitatis, appáruit ei mulier  
vídua colligens ligna, & vocáuit  
eam, dixítque ei: Da mihi páulu-  
lum aquæ in vase, vt bibam. Cum-  
que illa pérgeret vt afférret, cla-  
máuit post tergum eius, dicens:  
Affer mihi, obsecro, & buccéllam  
panis in manu tua. Quæ respón-  
dit: Viuit Dóminus Deus tuus,  
quia non hábeo panem, nisi quan-  
tum pugíllus cápere potest farínæ  
in hydria, & páululum ólei in lé-  
cytho: en colligo duo ligna vt in-  
grédiar & faciam illud mihi & fi-  
lio meo, vt comedámus, & mori-  
mumur. Ad quam Elías ait: Noli ti-  
mère, sed vade, & fac sicut dixísti:  
verúmtamen mihi primum fac  
de ipsa farínula subcinerícum pa-  
nem páruulum, & affer ad me: tibi  
autem & filio tuo fácies póstea.  
Hæc autem dicit Dóminus Deus  
Israél: Hydria farínæ non defi-  
ciet, nec lécythus ólei minuétur,  
vsque ad diem in qua Dóminus

datûrus est pluviā super faciem  
terræ. Quæ ábiit, & fecit iuxta  
verbū Elíæ: & comédit ipse, &  
illa, & domus eius: & ex illa die  
hydria farínæ non defécit, & lé-  
cythus ólei non est imminutus,  
iuxta verbum Dómini, quod lo-  
cútus fúerat in manu Elíæ.

Graduale. I acta cogitatum tuum  
in Dño, & ipse te enútriet. *V.* Dum  
clamarem ad Dñm, exaudiuit vocem  
meam ab his, qui appropinquant mihi.

S equentia sancti Euangélij  
secundum Matthæum.

**I**n illo tempore: Locútus est Ie-  
sus ad turbas, & ad discípulos  
suos, dicens: Super cáthedram  
Móysi sedérunt Scribæ & Phari-  
sæi. Omnia ergo quæcumque dí-  
xerint vobis, seruáte, & facite: se-  
cundum ópera verò eorum nolí-  
te facere: dicunt enim, & non fa-  
ciunt. Alligant enim ónera grá-  
uia & importabília, & impónunt  
in húmeros hóminum: dígo au-  
tem suo nolunt ea mouére. Om-  
nia verò ópera sua faciunt vt vi-  
deántur ab homínibus: dilátant  
enim phylacteria sua, & magnífi-  
cant fimbrias. Amant autem pri-  
mos recúbitus in cœnis, & pri-  
mas cáthedras in synagógis, & sa-  
lutationes in foro, & vocári ab  
homínibus Rabbi. Vos autem nolí-  
te vocári Rabbi. Vnus est enim  
Magíster vester, ómnes autem vos  
fratres estis. Et patrem nolíte vo-  
cáre vobis super terram: vnus est  
enim Pater vester, qui in cælis est.  
Nec vocémini magístri: quia Ma-  
gister vester vnus est, Christus.

Qui maior est vestrūm, erit minister vester. Qui autem se exaltáuerit, humiliábitur: & qui se humiliáuerit, exaltábitur.

Offertorium. Misericordia mei Dómine secundum magnam misericordiam tuam: dele Dómine iniquitatem meam. Secreta.

**S**anctificationem tuam nobis Dómine his mysteriis operare placatus: quæ nos & à terrénis purget vitiis, & ad cælestia dona perdúcat. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, vt in Dominica præcedenti. fol. 91.

Communio. Narrabo ómnia mirabilia tua: lætabor & exultabo in te: psallam nōmini tuo, Altissime.

Postcommunio.

**V**T sacris, Dómine, reddâmur digni munéribus, fac nos tuis, quæsumus, semper obedire mandatis. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, vt in Dominica præcedenti. fol. 93.

Super populum. Orémus.

Humiliâte capita vestra Deo. Oratio.

**P**ropitiare Dómine supplicationibus nostris, & animarum nostrârum medere languoribus: vt remissione percépta, in tua semper benedictiōne lætēmur. Per Dóminum nostrum.

## FERIA QVARTA.

Statio ad S. Cæciliam. Introitus.

  
E derelinquas me Dómine Deus meus, ne discédas à me: intende in adiutorium meum, Dómine virtus fuitis meæ. Psalm. Dómine, ne in furor-

re tuo árguas me: neque in ira tua corípias me. **y.** Glória Patri. Oratio.

**P**Opulum tuum, quæsumus Dómine, propitius respice: & quos ab escis carnalibus præcipis abstinere, à nōxijs quoque vitijs cessare concéde. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, vt in Dominica præcedenti. fol. 91.

Léctio libri Esther.

**I**n diébus illis: Oráuit Mardonchæus ad Dóminum, dicens: Dómine Dómine Rex omnipotens, in dictiōne enim tua cuncta sunt pôsita: & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decretueris saluare Israël. Tu fecisti cælum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur. Dóminus ómnium es, nec est qui resistat maiestati tuæ. Et nunc Dómine Rex Deus Abraham, miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri perdere, & hereditatē tuam délere. Ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi de Ægypto. Exaudi deprecationem meam, & propitius esto forti & funiculo tuo, & conuerte luctum nostrum in gaudium, vt viuentes laudemus nomen tuum Dómine, & ne claudas ora te canentium, Dómine Deus noster.

Graduale. Saluum fac populum tuum Dómine, & bénedic hereditati tuæ. **y.** Ad te Dómine clamáui, Deus meus ne sileas à me, & ero similis descendéntibus in lacum.

Tractus. Dómine, non secundum peccata nostra, quæ fecimus nos: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

<sup>Psal. 78.</sup> nobis. **y.** Dómine, ne me ménéris ini-  
quitátum nostrárum antiquárum: citò  
anticip ent nos misericórdia tux, quia  
páuperes facti sumus nimis. **y.** \* Ad-  
iuua nos Deus salutáris noster: & pro-  
pter glóriam nóminalis tui Dómine lí-  
bera nos, & propítius esto peccátis no-  
stris propter nomen tuum.

S equentia sancti Euangélij  
secundum Matthæum.

<sup>Mat. 20. b</sup> **I**n illo tempore: Ascéndens Ie-  
sus Ierosólymam , assúmpsit  
duódecim discípulos secrétò , &  
ait illis : Ecce ascéndimus Ierosó-  
lymam , & Fílius hóminis tradé-  
tur Princípibus sacerdótum , &  
Scribis , & condemnábunt eum  
morte , & tradent eum Géntibus  
ad illudéndum , & flagellándum ,  
& crucifigéndum , & tértia die re-  
súrget. Tunc accéssit ad eum ma-  
ter filiòrum Zebedæi cum filiis  
suis, adórans & petens áliquid ab  
eo. Qui dixit ei: Quid vis ? Ait il-  
li: Dic vt sédeant hi duo filij mei,  
vnus ad déxteram tuam , & vnus  
ad sinístram , in regno tuo. Re-  
spónsens autem Iesús, dixit: Ne-  
scítis quid petátis. Potéstis bí-  
bere cálicem , quem ego bítitú-  
rus sum? Dicunt ei : Póssumus.  
Ait illis : Cálicem quidem meum  
bibétes: sedére autem ad déxte-  
ram meam vel sinístram , non est  
meum dare vobis, sed quibus pa-  
rátum est à Patre meo. Et audiéntes decem , indignáti sunt de-  
duóbus frátribus. Iesús autem vo-  
cáuit eos ad se , & ait: Scitis quia  
príncipes géntium dominántur  
côrum: & qui maióres sunt , po-

testátēm exércent in eos. Non ita  
erit inter vos: sed quicúmque vol-  
luerit inter vos maior fieri, sit ve-  
ster miníster : & qui voluerit in-  
ter vos primus esse , erit vester ser-  
uus. Sicut filius hóminis non ve-  
nit ministrári , sed ministrare , &  
dare ánimam suam , redemptiō-  
nem pro multis.

<sup>Psal. 14.</sup> **O**ffertorium. A d te Dómine le-  
uáui ánimam meam , Deus meus in te  
confido , non erubescam : neque irrí-  
deant me inimici mei: étenim vniué-  
si, qui te expéctant, non confundéntur.

Secreta.

**H**ostias, Dómine, quas tibi  
offérimus , propítius réspi-  
ce: & per hæc sancta commércia,  
víncula peccatòrum nostrorum  
absolute. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ , vt in Dominica  
præcedenti. fol. 92.

Communio. I ustus Dóminus , &  
iustitiam dilexit: æquitátēm vedit vul-  
tus eius. **P**ostcommunio.

**S**umptis Dómine sacraméntis,  
ad redemptiōnis æternæ, quæ-  
sumus, proficiámus augmémentum.  
Per Dóminum nostrum.

Aliæ Postcommuniones , vt in  
Dominica præcedenti. fol. 93.

Super populum. O rêmus.

Humiliâte cápita vestra Deo.

Oratio.

**D**eus innocéntiæ restitutor &  
amâtor, dirige ad te tuòrum  
corda seruòrum: vt spíritus tui fer-  
uôré concépto, & in fide intueni-  
ántur stábiles , & in ópere efficá-  
ces. Per Dóminum nostrum. in  
vnitâte eiúsdem Spíritus sancti.

**FERIA QUINTA.**  
*Statio ad sanctam Mariam trans Tiberim.* Introitus.



Eus in adiutoriam meum intende, Domine ad adiuvandum me festina: confundantur & reuereantur inimici mei, qui querunt animam meam. Psalm. Auertantur retrorsum & erubescant, qui cogitant mihi mala. v. Gloria Patri. Oratio.

**P**RÆSTA nobis, quæsumus Domine, auxilium gratiæ tuæ: ut ieíuniis & orationibus conuenienter intènti, liberemur ab hostiis mentis & corporis. Per Dominum nostrum.

Aliæ Orationes, vt in Dominica præcedenti. fol. 91.

Lætio Ieremiacæ Prophétæ.

**H**Æc dicit Dominus Deus: Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Dño recedit cor eius. Erit enim quasi myricæ in deserto, & non videtur cum venerit bonum: sed habitabit in siccitate in deserto, in terra falsuginis, & inhabitabili. Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas: & non timetur cum venerit aestus. Et erit folium eius víride, & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. Praeuum est cor omnium, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dñs scrutans cor, & probans renes: qui

do vnicuique iuxta viam suam, & iuxta fructum adiuentionum suarum dicit Dñs omnipotens.

**Graduale.** Propitius esto Domine peccatis nostris, ne quando dicant Gentes, Vbi est Deus eorum? v. Adiuua nos Deus salutarius noster, & propter honorem nominis tui Domine libera nos.

Sequentia sancti Euangelij secundum Lucam.

**I**N illo tempore: Dixit Iesus Phariseis: Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byssus: & epulabatur quotidie splendidè. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadabant de mensa diuitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant ulcera eius. Factum est autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe & Lazarum in sinu eius: & ipse clamans, dixit: Pater Abraham, miserere mei: & mitte Lazarum, ut intingat extrimum dìgiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crùcior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia receperisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciāris. Et in his omnibus, inter nos & vos chaos magnum firmatum est: ut hi, qui volunt hinc trans-

transire ad vos, non possint, neque inde huic transmeâre. Et ait: Rogo ergo te pater vt mittas eum in domum patris mei. Hâbeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi véniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Móysen, & Prophétas: áudiant illos. At ille dixit: Non, Pater Abraham: sed si quis ex mórtuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Móysen & Prophétas non áudiunt; neque si quis ex mórtuis resurréxerit, credent.

**Exod.**  
32.  
**Offertorium.** P recátus est Móyses in conspéctu Dómini Dei sui, & dixit: Quare Dómine irásceris in pôpulo tuo? parce iræ ánimæ tuæ: meménto Abraham, Isaac, & Iacob, quibus iurásti dare terram fluéntem lac & mel. Et placátus est Dóminus de malignitate, quam dixit fáccere pôpulo suo.

**Secræta.**

**P** Ræsénti sacrificio, nômini tuo nos, Dómine, ieíunia dicâta sanctificant: vt, quod obseruântia nostra profitetur extériùs, intériùs operétur effectu. Per Dóminum nostrum.

**Aliæ Secretæ, vt in Dominica præcedenti. fol. 92.**

**Communio.** Qui manducat meam carnem, & bibt meum sanguinem, in me manet, & ego in eo, dicit Dóminus.

**Postcommunio.**

**G**RÁTIA tua nos, quæsumus IDómine, non derelinquat: quæ & sacræ nos déditos faciat seruituti, & tuam nobis opem semper acquirat. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, vt in Dominica præcedenti. fol. 93.  
Super populum. O rêmus.  
Humiliâte cárta vestra Deo.  
Oratio.

**A**DÉsto Dómine famulis tuis, & perpétuam benignitatem largire poscètibus: vt iis, qui te auctore & gubernatorem gloriântur, & congregata restâures, & restaurâta consérues. Per Dñm.

## FERIA SEXTA.

*Statio ad sanctum Vitalem.*

**Introitus.**



Go autem cum iustitia ap-  
parèbo in conspéctu tuo:  
satiâbor dum manifestâbi-  
tur glória tua. **Psalms. Ex-**  
audi Dómine iustitiam meam: intén-  
de deprecationi meæ, y. Glória Patri-  
Oratio.

**D**A quæsumus omnipotens Deus: vt sacro nos purifi-  
cante ieíunio, sincéris méntibus  
ad sancta ventura fâcias peruenî-  
re. Per Dóminum nostrum.

**Aliæ Orationes, vt in Dominica præcedenti. fol. 91.**

**Léctio libri Génésis.**

**I**N diébus illis: Dixit Ioseph fratribus suis: Audite somnum meum, quod vidi: Putâbam nos ligare manípulos in agro: & quasi consûrgere manípulum meum, & stare, vestrosque manípulos circumstantes adorâre manípulum meum. Respondérunt fratres eius: Numquid rex noster eris? aut subiiciémur ditíoniæ tuæ? Hæc ergo causa somniô-

rum atque sermōnum, inuidiæ & ódij fōmitē ministrāuit. Aliud quoque vedit fōnniūm, quod narrans frātribus, ait: "Vidi pēfōnniūm, quasi solem, & lunam, & stellas úndecim adorāre me. Quod cùm patri suo & frātribus retulīsse, increpāuit eum pater suus, & dixit: Quid sibi vult hoc fōnniūm, quod vidisti? num ego & mater tua & fratres tui adorábimus te super terram? Inuidébant ei igitur fratres sui: pater verò rem tacitus considerābat. Cumqüe fratres illiū in paſcēdis grēgib⁹ patris morarēntur in Sichem, dixit ad eum Ifraēl: Fratres tui pascunt oves in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo respondēnte, præſtō sum, ait ei: Vade, & vide si cuncta prōspēra sunt erga fratres tuos, & pēcora: & renūntia mihi quid agātur. Missus de valle Hebron, venit in Sichem: inuenitque eum vir errāntem in agro, & interro-gāuit quid quæreret. At ille reſpóndit: Fratres meos quāro: in-dica mihi vbi pascant greges. Di-xitque ei vir: Receslerunt de lo-co iſto: audīui autem eos dicēn-tes: Eāmus in Dóthain. Perréxit ergo Ioseph post fratres suos, & inuēnit eos in Dóthain. Qui cùm vidissent eum procul, ántequam accéderet ad eos, cogitauérunt illum occídere: & mūtuō loque-bántur: Ecce somniātor venit: venīte, occidāmus eum, & mit-tāmus in cisternā vēterem: di-cemusque, Fera pēffima deuorā-

uiteum: & tunc apparēbit quid illi prosint fōmpia sua. Audiens autem hoc Ruben, nitebātur li-berāre eum de mānibus eōrum, & dicēbat: Non interficiātis áni-mam eius, nec effundātis sanguinem: sed proiicite eum in cisternā hanc, quāe est in solitūdine, manūsque vestras seruāte innō-xias: hoc autem dicēbat, volens eripere eum de mānibus eōrum, & réddere patri suo.

*Graduale. Ad Dóminum cùm tribulārer clamāui, & exaudiuit me.*  
¶. Dómine libera ánimam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.

*Tractus. Dómine, non secundūm peccāta noſtra, quāe fecimus nos, neque secundūm iniquitātes noſtras retrībuas nobis.* ¶. Dómine, ne memineris iniquitātūm nostrārum antiquārū: citō antīcipent nos misericordiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis.  
¶. \* Adiuua nos Deus salutāris noſter: & propter gloriām nōminis tui Dómine libera nos, & propitiūs esto peccatis noſtris propter nomen tuum.

*S equēntia sancti Euangeliū secundūm Matthæum.*

*I*n illo tēpore: Dixit Iesustur-bis Iudæōrum, & principib⁹ sacerdōtūm parabolam hanc: Homo erat pater familiās, qui plātāuit vineam, & sepe in circūm-dedit ei, & fodit in ea torcūlar, & edificāuit turrim, & locāuit eam agricolis, & pērigrē profectus est. Cūm autem tempus frūctuum appropinquā-ſet, misit seruos suos ad agricolās, vt accíperent fructus eius. Et agricolæ, apprehēnsis seruis eius,

álium

álium cecidérunt, álium occidérunt, álium verò lapidauérunt. Iterùm misit álios seruos plures prióribus, & fecérunt illis simíliter. Nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebúntur filium meum. Agrícolæ autem vidéntes filium, dixerunt intra se: Hic est heres, venite, occidâmus eum, & habébimus hereditâtem eius. Et apprehénsum eum eiecérunt extra víneam, & occidérunt. Cùm ergo vénérerit dómintus víneæ, quid faciet agrícolis illis? Aiunt illi: Malos mali perdet: & víneam suam locabit áliis agrícolis, qui reddant ei fructum tempóribus suis. Dicit illis Iesus: Numquam legistis in Scripturis: Lápidem, quem reprobauérunt ædificantes, hic factus est in caput ánguli? A Dómino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris? Ideo dico vobis, quia auferétur à vobis regnum Dei, & dábitur genti facienti fructus eius. Et qui cecidérunt super lápidem istum, confringéntur: super quem verò cecidérunt, cónteret eum. Et cùm audíssent príncipes sacerdótum & Pharisæi parábolas eius, cognouérunt quòd de ipsis díceret. Et quæréntes eum tenere, timuérunt turbas: quóniam sicut prophétam eum habébant.

*Fal. 39.* Offertorium. Dómine, in auxílium meum respice: confundántur & reuereántur, qui querunt ánimam meam, vt auferant eam: Dómine in auxílium meum respice.

Secreta.

**H**æc in nobis sacrificia Deus & actiōne permáneant, & operatione firméntur. Per Dóminum nostrum.

Aliæ Secretæ, vt in Dominica præcedenti fol. 92.

Communio. Tu Dómine seruâbis nos, & custódies nos à generatione hac in æternum. Postcommunio.

**F**ac nos, quæsumus Dómine, accépto pignore salutis æternæ, sic tendere congruenter: vt ad eam peruenire possimus. Per Dóminum nostrum.

Aliæ Postcommuniones, vt in Dominica præcedenti. fol. 93.

Super populum. O remus.  
Humiliâte capita vestra Deo.

Oratio.

**D**a, quæsumus Dómine, populo tuo salutem mentis & corporis: vt bonis opéribus inhæréndo, tuæ semper virtutis mereâtur protectione deféndi. Per Dóminum nostrum.

S A B B A T O.  
Statio ad sanctos Marcellinum  
& Petrum. Introitus.

*Pfa. 18. lida*



Ex Dómini irreprehensibilis, conuertens áimas: testimónium Dómini fidèle, sapiéntiam præstans páruulis. Psalm. Cæli enárrant gloriām Dei: & ópera manuum eius anúntiat firmamētum. y. Glória Patri.

Oratio.

**D**a, quæsumus Dómine, nostris efféctum ieíuniis salutarem: vt castigatio carnis assúm-

pta, ad nostrârum vegetatiône  
trânsseat animârum. Per Dómi-  
num nostrum.

Aliæ Orationes, vt in Dominica  
præcedenti. fol. 91.

Léctio libri Génésis.

**I**N diêbus illis: Dixit Rebécca filio suo Iacob: Audíui patrem tuum loquéntem cum Esau fratre tuo, & dicéntem ei: Affer mihi de venatiône tua, & fac cibos vt cómedam, & benedicam tibi coram Dómino ántequam móriar. Nunc ergo, fili mi, acquiéscce consiliis meis: & pergens ad gregem, affer mihi duos hoedos óptimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur: quas cùm intúleris, & coméderit, benedicat tibi priúsqam moriâtus. Cui ille respóndit: Nosti quòd Esau frater meus homo pilósus sit, & ego lenis: si attréauerit me pater meus, & senserit, tímeo ne putet me sibi voluisse illudere, & indúciam super me maledictiône pro benediictiône. Ad quem mater: In me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tantùm audi vocem meam, & pergens, affer quæ dixi. Abiit, & attulit, dedítque matri. Paráuit illa cibos, sicut velle nöuerat pa-trem illius. Et vêstibus Esau val-dè bonis, quas apud se habébat domi, induit eum: pelliculásque hœdorum circúmdedit manibüs, & colli nuda protéxit. Dedítque pulmémentum, & panes, quos cóxerat, trádidit. Quibus illatis, dixit: Pater mi? At ille respóndit:

Audio. Quis es tu fili mi? Dixit que Iacob: Ego sum primogénius tuus Esau: feci sicut præcepisti mihi: surge, sede, & cómede de venatiône mea, vt benedicat mihi áнима tua. Rursumque Isaac ad filium suum: Quómodo, inquit, tam citò inuenire potuisti, fili mi? Qui respóndit: Volúntas Dei fuit vt citò occurreret mihi quod volêbam. Dixitque Isaac: Accède huc, vt tangam te fili mi, & probem vtrum tu sis filius meus Esau, an non. Accéssit ille ad patrem, & palpato eo, dixit Isaac: Vox quidem, vox Iacob est: sed manus, manus sunt Esau. Et non cognovit eum, quia pilosæ manus similitudinem maioris exprésserant. Benedicens ergo illi, ait: Tu es filius meus Esau? Respóndit, Ego sum. At ille, Affer mihi, inquit, cibos de venatiône tua, fili mi, vt benedicat tibi áнима mea. Quos cùm oblatis comedisset, óbtulit ei etiam vinum. Quo hausto, dixit ad eum: Accède ad me, & da mihi osculum, fili mi. Accéssit, & osculatus est eum. Statimque vt sensit vestimentorum illius fragrâtiam, benedicens illi, ait: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dóminus. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundântiam frumenti & vini. Et seruant tibi populi, & adórent te tribus: esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ. Qui maledixerit tibi, sit ille

ille maledictus : & qui benedixerit tibi , benedictionibus repleatur. Vix Isaac sermōnem impléuerat: & egresso Iacob foras , venit Esau , coctosque de venatiōne cibos intulit patri , dicens: Surge pater mi , & comedē de venatiōne filij tui , vt benedicat mihi anima tua. Dixitque illi Isaac : Quis enim es tu ? Qui respōndit : Ego sum filius tuus primogenitus Esau. Expāuit Isaac stupore vehe-mēnti , & vtrā quām credi potest , admirans , ait : Quis igitur ille est , qui dudum captam venatiōnem attulit mihi , & comēdi ex omnibus priūsquām tu venires ? benedixique ei , & erit benedictus. Audītis Esau sermōnibus patris , irrūgiit clamōre magno : & consternatus , ait: Bēnēdic etiā & mihi , pater mi. Qui ait: Venit germānus tuus fraudulēter , & accēpit benedictiōnem tuam. At ille subiūnxit: Iustē vocātūm est nomen eius Iacob: supplantāuit enim me en altera vice: primogenita mea antē tulit , & nunc secundō surrūpuit benedictiōnem meam. Rursūmque ad patrem: Numquid non reseruāsti , ait , & mihi benedictiōnem ? Respōndit Isaac : Dōminum tuum illum constitui , & omnes fratres eius seruitūti illius subiugāui: frumento & vino stabilīui eum , & tibi post hēc , fili mi , vtrā quid faciam? Cui Esau: Num vnam , inquit , tantūm benedictiōnem habes , pater? mihi quoque obsecro vt benedicas. Cumque eiulātu

magnō fleret , motus Isaac , dixit ad eum: In pinguedine terrae , & in rōre cæli désuper erit benedictio tua.

**Graduale.** B onum est confiteri Dōmino , & psallere nōmini tuo Altissime. **y.** Ad annuntiādūm manē misericordiam tuam , & veritātem tuam per nōstrem.

**Sequēntia sancti Euangēlij**  
secundūm Lucam.

**I**n illo tēpore : Dixit Iesus Phariseis & Scribis parabolam istam: Homo quidam hábuit duos filios: & dixit adolescentior ex illis patri: Pater , da mihi portiōnem substāntiæ , quæ me contíngit. Et diuīsit illis substāntiam. Et non post multos dies , congregatis omnibus , adolescentior filius peregrē profectus est in regiōnem longinquam , & ibi dissipāuit substāntiam suam viuēndo luxuriōsē. Et postquam omnia consummāset , facta est famē valida in regiōne illa , & ipse cœpit egere. Et abiit , & adhæsit vni ciūum regiōnis illius. Et misit illum in villam suam , vt pāsceret porcos. Et cupiēbat implēre ventrem suum de siliquis , quas porci manducabant : & nemo illi dabat. In se autem reuēsus , dixit: Quanti mercenārij in domo patris mei abūndant pánibus , ego autem hīc fame pereo? Surgam , & ibo ad patrem meum , & dicam ei: Pater , peccāui in cælum , & coram te : iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenāriis tuis. Et surgens ,

venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Dixitque ei filius: Pater, peccavi in cælum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad seruos suos: Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius: & calceamenta in pedes eius: & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Et coepérunt epulari. Erat autem filius eius senior in agro: & cum veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam, & chorum: & vocauit unum de seruis, & interrogauit, quid hæc essent. Isque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recipit. Indignatus est autem, & nolébat introire. Pater ergo illius egreditus, coepit rogare illum. At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis seruio tibi, & numquam mandatum tuum præteriui, & numquam dedisti mihi hœdum ut cum amicis meis epularer: sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substântiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum. At ipse dixit illi: Fili: tu semper tecum es, & omnia mea tua sunt: epulari autem, & gaudere oportebat, quia

frater tuus hic, mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est.

*Offertorium.* I llúmina óculos meos, ne vñquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, Praealui aduersus eum.

### Secreta.

**H** Is sacrificiis, Dómine, concéde placatus: vt qui propriis orâni absolu delictis, non grauemur externis. Per Dóminum.

*Aliæ Secretæ,* vt in Dominica præcedenti. fol. 92.

*Communio.* O portet te, fili, gaudere, quia frater tuus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est.

### Postcommunio.

**S** Acramenti tui, Dómine, diuina libatio penetrâlia nostri cordis infundat: & sui nos participes potenter efficiat. Per Dóminum.

*Aliæ Postcommuniones,* vt in Dominica præcedenti fol. 93.

*Super populum.* O remus. Humiliâte capita vestra Deo. *Oratio.*

**F** Amíliam tuam, quæsumus Dómine, continua pietate custodi: vt quæ in sola spe gratiarum cælestis innititur, cælesti etiam protectione muniatur. Per Dóminum nostrum.

### D O M I N I C A III.

in Quadragesima.

*Statio ad Sanctum Laurentium extra muros.* Introitus.



Culi mei semper ad Dóminum, quia ipse euéllet de láqueo pedes meos: respice in me, & miserere mei: quóniam únicus & pauper

*Ibid* sum ego. Psalm. A d te Dómine leuáui animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam. *y.* Glória Patri.

## Oratio.

**Q**Ueſumus omnípotens Deus, vota humílium rēſpice: atque ad defensiōnem noſtrām, dexteram tuæ maiestatis exténde. Per Dóminum noſtrum Iesum Chriſtum Fílium tuum: Qui tecum viuit & regnat.

Ad poſcenda ſuffragia Sanctórum. Oratio.

**A**Cūctis nos, quæſumus Dómine, mentis & córporis deſénde periculis: & intercedénte beáta & glorióſa ſemper vírgine Dei genitrice María, cum beátis Apóstolis tuis Petro & Paуlo, atque beáto N. & ómnibus Sanctis, ſalútem nobis tríbue benignus & pacem; vt, deſtrúctis aduersitáribus & errorib⁹ vniuérſis, Ecclésia tua ſecúra tibi ſeruat libertatē.

Pro viuis & defunctis.

## Oratio.

**O**Mnípotēs ſempiterne Deus, qui viuôrum domináris ſimul & mortuôrum, omniúmque miferêris, quos tuos fide & opere futuros eſſe prænoscis: te ſupplices exorâmus; vt, pro quibus effundere preces decreuimus, quoſque vel præſens ſæculum adhuc in carne rétinet, vel futûrum iam exútos córpore fuſcêpit; intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ cleméntia, ómnium delictórum ſuôrum véniam conſequántur. Per Dóminum noſtrū.

Lécio Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Ephésios.

**F**Ratres, Eſtote imitatores Dei, sicut filij charifſimi: & ambuláte in dilectione, ſicut & Chriſtus diléxit nos, & tradidit ſe metípſum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem ſuauitatis. Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet sanctos, aut turpitudo, aut ſtultiórium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet; ſed magis gratiarum áctio. Hoc enim ſcítote intelligentes: quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hereditatem in regno Chriſti & Dei. Nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidéntiæ. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando ténebræ: nunc autem lux in Dómino. Vt filij lucis ambuláte: fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate.

**G**raduale. E xúrge Dómine, non præualeat homo: iudicentur Gentes in conſpectu tuo, *y.* In conuertendo inimicum meum retrorsum, infirmitur, & peribunt à facie tua.

**T**ractus. A d te leuáui oculos meos, qui habitas in cælis. *y.* Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum. *y.* Et ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Dóminum Deum noſtrum, donec misereatur noſtri, *y.* Miferere nobis Dómine, miferere nobis.

Sequentia sancti Euangélij  
secundum Lucam.

**I**N illo tempore: Erat Iesus ei-  
ciens dæmonium, & illud erat  
mutum. Et cum eiecisset dæmonium,  
locutus est mutus, & admiratae sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beélzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Et alij tentantes, signū de cælo quærabant ab eo. Ipse autem vt vidi cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum diuīsum desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem & Sátanas in seipsum diuīsus est, quómodo stabit regnum eius? quia dicitis, in Beélzebub me eiicere dæmonia. Si autem ego in Beélzebub eiicio dæmonia: filii vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestrierunt. Porrò si in dígi-  
to Dei eiicio dæmonia: profectò peruenit in vos regnum Dei. Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo su-  
perueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidébat, & spolia eius distribuet. Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens réquiem: & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam unde exiui. Et cum vénérerit, inuenit eam scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assūmit septem álios spíritus secum nequiores se, & ingrēssi há-

bitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Factum est autem, cum hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit; & ubera, quæ suxisti. At ille dixit: Quinimum beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Credo.

**O**ffertorium. Iustitia Dómini rectæ, laetificantes corda, & iudicia eius dulciora super mel & fauum nam & seruus tuus custodit ea.

### Secreta.

**H**ec hóstia, Dómine quæsumus, emundet nostra delicta: & ad sacrificium celebrandum, subditórum tibi corpora mentésque sanctificet. Per Dóminum nostrum.

### Aliæ Secretæ.

**E**xaudi nos Deus salutáris noster: vt per huius sacramenti virtutem, a cunctis nos mentis & corporis hóstibus tuearis; gratiam tribuens in præsenti, & gloriam in futuro.

**D**eus, cui soli cognitus est numerus electórum in supérrna felicitate locandus: tribue quæsumus, vt intercedentibus omnibus Sanctis tuis, vniuersorum, quos in oratione commendatos suscepimus, & omnium fidélium nomina, beatæ prædestinationis liber adscripta retineat. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

**C**ommunio. Paffer inuenit sibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos suos: altaria tua Dómine virtutum, Rex meus, & Deus meus: beatí qui

qui hábitant in domo tua, in sæculum  
sæculi laudábunt te. Postcommunio.

**A**CUNDIS nos, quæsumus Dómine, reáribus & periculis  
propitiátus absólue: quos tanti  
mystérij tríbus esse partícipes.  
Per Dóminum nostrum.

Aliæ Postcommuniones.

**M**UNDET & muniat nos, quæsumus Dómine, diuini sa-  
craménti munus oblátum: & in-  
tercedénte beáta vírgine Dei ge-  
nitrice María, cum beátis Apó-  
stolis tuis Petro & Paulo, atque  
beáto N. & ómnibus Sanctis; à  
cunctis nos reddat & peruersitá-  
tibus expiátos, & aduersitáibus  
expedítos.

**P**ERÍFICENT nos, quæsumus om-  
nipotens & misericors Deus,  
sacraménta quæ sumpsimus: &  
intercedéntibus ómnibus Sanctis  
tuis, præsta; vt hoc tuum sacra-  
mémentum non sit nobis reáitus ad  
pœnam, sed intercéssio salutá-  
ris ad véniam: sit ablúcio scéle-  
rum, sit fortitudo fragílium, sit  
contra ómnia mundi pericula fir-  
mamentum: sit viuórum atque  
mortuórum fidélium, remissio  
ómnium delictórum. Per Dñm.

## F E R I A   S E C V N D A .

*Statio ad S. Marcum. Introitus.*

 N Deo laudábo verbum, in  
Dómino laudábo sermónem: in Deo sperábo, non  
timébo quid fáciat mihi ho-  
mo. Psalm. Misérere mei Deus, quó-  
niā conculeáuit me homo: tota die  
bellans tribuláuit me. Glória Patri.

## O r a t i o .

**C**ORDIBUS nostris, quæsumus  
Dómine, grátiam tuam be-  
nignus infunde: vt sicut ab escis  
carnálibus abstinémus; ita sensus  
quoque nostros à nōxiis retrahá-  
mus excéssibus. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, vt in Dominica  
præcedenti. fol. 105.

## L é c t i o libri Regum.

**I**N diébus illis: Naaman prin-  
ceps militiæ regis Syriæ erat vir  
magnus apud dóminum suum,  
& honoratus: per illum enim de-  
dit Dóminus salutem Syriæ: erat  
autem vir fortis & diues, sed le-  
prósus. Porro de Syria egréssi füe-  
rant latrunculi, & captiuam du-  
xerunt de Terra Israël puéllam  
páruulam, quæ erat in obsequio  
vxoris Naaman, quæ ait ad dó-  
minam suam: Utinam fuisset dó-  
minus meus ad Prophétam, qui  
est in Samaria: profectò curáset  
eum à lepra, quam habet. Ingrés-  
sus est itaque Naaman ad dómi-  
num suum, & nuntiáuit ei, dicens:  
Sic & sic locuta est puélla de Ter-  
ra Israël. Dixitque ei rex Syriæ:  
Vade, & mittam litteras ad re-  
gem Israël. Qui cùm profectus  
esset, & tulisset secum decem ta-  
lénta argénti, & sex millia aureos,  
& decem mutatória vestimentó-  
rum, détulit litteras ad regem Is-  
raël, in haec verba: Cùm accépe-  
ris epístolam hanc, scito quod  
miserim ad te Naaman seruum  
meum, vt cures eum à lepra sua.  
Cumque legisset rex Israël litté-  
ras, scidit vestimenta sua, & ait:

Numquid Deus ego sum, vt occidere possim, & viuificare, quia iste misit ad me, vt curem hominem à lepra sua? animaduertite, & videte quod occasiones querat aduersum me. Quod cum audisset Elisaeus vir Dei, scidisse videlicet regem Israël vestimenta sua, misit ad eum, dicens: Quare scidisti vestimenta tua? veniat ad me, & sciat esse Prophetam in Israël. Venit ergo Naaman cum equis & curribus, & stetit ad ostium domus Elisei: misitque ad eum Elisaeus nuntium, dicens: Vade, & lauare septies in Iordanie, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis. Iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam quod egredieretur ad me, & stans invocaret nomen Domini Dei sui, & tangenter manu sua locum lepræ, & curaret me. Numquid non meliores sunt Abana & Pharpar, fluij Damasci, omnibus aquis Israël, vt lauer in eis, & munder? Cum ergo vertisset se, & abiaret indignans, accesserunt ad eum serui sui, & locuti sunt ei: Pater, & si rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras: quanto magis quia nunc dixit tibi: Lauare, & mundaberis? Descendit, & lauit in Iordanie septies iuxta sermonem viri Dei, & restituuta est caro eius, sicut caro pueri parvuli, & mundatus est. Reuersusque ad virum Dei cum vniuerso comitatu suo, venit, & stetit coram eo, & ait: Verè scio, quod non sit alius Deus

in vniuersa terra, nisi tantum in Israël.

**Graduale.** D<sup>e</sup>us vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. **y.** Miserere mei, D<sup>omi</sup>n<sup>e</sup> , quoniam conculcauit me homo: tota die bellans tribulauit me.

**Tractus.** D<sup>omi</sup>n<sup>e</sup>, non secundum peccata nostra, quæ fecimus nos, neque secundum iniurias nostras retribuas nobis. **y.** D<sup>omi</sup>n<sup>e</sup>, ne memineris iniuriam nostrorum antiquarum: citò anticipent nos misericordiae tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. **y.** \* Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui D<sup>omi</sup>n<sup>e</sup> libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

**Sequentia sancti Euangeli**  
secundum Lucam.

**I**n illo tempore: Dixit Iesus Lucas 4,42 Pharisæis: Vtique dicetis mihi hanc similitudinem: Médice curate ipsum: quanta audiuius facta in Capharnaum, fac & hic in páttia tua. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua. In veritate dico vobis, multæ víduæ erant in diébus Eliæ in Israël, quando clausum est cælum annis tribus, & ménibus sex, cum facta esset famæ magna in omni terra: & ad nullam illarum missus est Eliás, nisi in Sarépta Sidóniæ, ad mulierem víduam. Et multi leprosi erant in Israël sub Elisœo Propheta: & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus. Et repléti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes. Et surrexerunt,

& eiecerunt illum extra ciuitatem: & duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat aedificata, ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat.

<sup>Psal. 14+</sup> Offertorium. Exaudi Deus orationem meam, & ne despèxeris deprecationem meam: intende in me, & exaudi me.

Secreta.

**M** Vnus, quod tibi Dómine nostræ seruitutis offerimus, tu salutare nobis perfice sacramentum. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

Aliæ Secretæ, vt in Dominica præcedenti. fol. 106.

Communio. Quis dabit ex Sion salutare Israël? cum auerterit Dóminus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israël.

Postcommunio.

**P** Ræsta quæsumus omnipotens & misericors Deus: vt quod ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

Aliæ Postcommuniones, vt in Dominica præcedenti. fol. 107.

Super populum. Oremus.

Humiliante capita vestra Dco.

Oratio.

**S**Vbuéniat nobis, Dómine, misericordia tua: vt ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis, te mereámur protegente éripi, te liberante saluári. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

FERIA TERTIA.  
Statio ad sanctam Pudenzianam.

Introitus.



Go clamáui, quóniam ex audísti me Deus: inclína aurem tuam, & exaudi verba mea: custodi me Dómine vt pupillam oculi: sub umbra alarum tuarum prótege me. Psal. Exaudi Dómine iustitiam meam: intende deprecationem meam. Glória Patri.

Oratio.

**E**Xaudi nos omnípotens & misericors Deus: & contineñtiæ salutaris propitiis nobis dona concéde. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, vt in Dominica præcedenti. fol. 105.

Lætio libri Regum.

**I**N diébus illis: Múlier quædam clamabat ad Eliséum Prophétam, dicens: Seruus tuus vir meus mórtuus est, & tu nosti quia seruus tuus fuit timens Dóminum: & ecce crèditor venit vt tollat duos filios meos ad seruendum sibi. Cui dixit Eliséus: Quid vis vt faciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa respóndit: Non hábeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum ólei, quo vngar. Cui ait: Vade, pete mítuò ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca. Et ingrédere, & claude ostium tuum, cùm intrínsecus fueris tu, & filii tui: & mitte inde in omnia vasa haec: & cùm plena fuerint, tolles. Iuit itaq; muler, & clausit ostium super se, & super filios suos: illi offerabant vasa, & illa infundē-

bat. Cumque plena fuissent vasa, dixit ad filium suum: Affer mihi adhuc vas. Et ille respondit: Non habeo. Stetitque oleum. Venit autem illa, & indicavit homini Dei. Et ille, Vade, inquit, vende oleum, & reddere creditori tuo: tu autem, & filii tui vivite de reliquo.

*Graduale.* Ab occultis meis munda me Domine: & ab alienis parce seruo tuo. *Y.* Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: & emundabor a delicto maximo.

S equentia sancti Euangeliij secundum Matthaeum.

**I**n illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripi eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos: dic ecclesiæ. Si autem ecclesiæ non audierit: sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in celo: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in celo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in celis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque

septies? Dicit illi Iesus: Non dico tibi usque septies; sed usque septuagies septies.

*Offertorium.* De extera Domini fecit virtutem, de extera Domini exaltauit me: non moriar, sed viviam, & narrabo opera Domini. *Secreta.*

**P**er haec veniat, quæsumus Domine, sacramenta nostræ redemptiōnis effectus: qui nos & ab humânis retrahat semper excessibus; & ad salutaria dona perdūcat. Per Dominum.

Aliæ Secretæ, ut in Dominica præcedenti. fol. 106.

*Communio.* Domine, quis habbitabit in tabernaculo tuo: aut quis requiescit in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. *Postcommunio.*

**S**acris, Domine, mysteriis expiati: & veniam, quæsumus, consequamur, & gratiam. Per Dominum nostrum.

Aliæ Postcommuniones, ut in Dominica præcedenti. fol. 107.

*Super populum.* O remus. Humiliante capita vestra Deo. *Oratio.*

**T**vanos, Domine, protectione defende: & ab omni semper iniquitate custodi. Per Dominum nostrum.

### FERIA QVARTA. Statio ad S. Xystum.

*Introitus.* Go autem in Domino sperabo: exultabo, & lætabor in tua misericordia: quia respexit huius militatem meam. *Psalmus.* In te



Domi-

Dómine speráui , non confundar in  
æternum : in iustitia tua líbera me , &  
éripe me. *¶*. Glória Patri.

## Oratio.

**P**RÆSTA nobis, quæsumus Dó-  
mine : vt salutáribus ieíuniis  
erudití, à nōxiis quoque vitiis abs-  
tinéntes, propitiationem tuam fa-  
ciliùs impetrémus. Per Dóminum  
nostrum.

Aliae Orationes, vt in Dominica  
præcedenti. fol. 105.

## L éctio libri Exodi.

**H**ÆC dicit Dóminus Deus :  
Honóra patrem tuum , &  
matrem tuam, vt sis longæus su-  
per terram, quam Dóminus Deus  
tuus dabit tibi. Non occides. Non  
mœcháberis. Non furtum facies.  
Non loquérис contra próximum  
tuum falsum testimónium. Non  
concupísces domum próximi tui:  
nec desiderábis vxórem eius, non  
seruum, non ancíllam, non bo-  
uem, non ásinum, nec ómnia quæ  
illius sunt. Cunctus autem pôpu-  
lus vidébat voces, & lámpades, &  
sonitum búccinæ , montémque  
fumántem: & pertérriti, ac pauô-  
re concússi, stetérunt procul, di-  
céntes Móysi: Lóquere tu nobis,  
& audiémus: non loquátur nobis  
Dóminus, ne fortè moriâmur. Et  
ait Móyses ad pôpulum : Nolite  
timêre: vt enim probâret vos venit  
Deus, & vt terror illius esset in vo-  
bis, & non peccaréatis. Stetítque  
pôpulus de longè. Móyses autem  
accéssit ad calíginem in qua erat  
Deus. Dixit prætéreà Dóminus  
ad Móysen: Hæc dices filiis Israël:

Vos vidistis, quod de cælo locutus  
sim vobis. Non faciētis deos ar-  
genteos , nec deos aureos faciētis  
vobis. Altare de terra faciētis mi-  
hi, & offerētis super eo holocáusta  
& pacífica vestra , oues vestras &  
boues in ómni loco , in quo me-  
mória fúerit nōminis mei.

Graduale. Misericordia mei Dómi-  
ne , quóniam infirmus sum: sana me  
Dómine. *¶*. Conturbâta sunt óm-  
nia ossa mea : & anima mea turbâta  
est valdè.

Tractus. Dómine, non secundum  
peccata nostra, quæ fecimus nos, neque  
secundum iniquitates nostras retrí-  
buas nobis, *¶*. Dómine, ne memineris  
iniquitatum nostrorum antiquarum :  
citò anticipent nos misericordiae tuæ,  
quia pauperes facti sumus nimis.  
*¶*. \* Adiuua nos Deus salutaris no-  
ster: & propter glorię nōminis tui  
Dómine líbera nos , & propítius esto  
peccatis nostris propter nomen tuum.

Sequentia sancti Euangeli  
secundum Matthæum.

**I**N illo tempore: Accesserunt  
ad Iesum ab Ierosolymis Scri-  
bæ , & Pharisei, dicentes: Quare  
discípuli tui transgrediuntur  
traditionem seniörum? Non enim  
lauant manus suas cum panem  
mandúcant. Ipse autem respón-  
dens, ait illis: Quare & vos trans-  
grediimini mandatum Dei pro-  
pter traditionem vestram? Nam  
Deus dixit: Honóra patrem , &  
matrem. Et: Qui maledixerit  
patri, vel matri, morte moriâtur.  
Vos autem dícitis: Quicumque  
dixerit patri , vel matri, Munus

quodcumque est ex me , tibi prôderit : & non honorificâbit patrem suum, aut matrem suam : & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Hypocritæ, benè prophetauit de vobis Isaías, dicens: Pópulus hic lábiis me honôrat : cor autem eorum longe est à me. Sine causa autem colunt me , docentes doctrinas & mandata hóminum. Et conuocatis ad se turbis , dixit eis: Audite , & intelligite. Non quod intrat in os , coinquat hóminem : sed quod procédit ex ore , hoc coinquat hóminem. Tunc accedentes discipuli eius , dixerunt ei: Scis quia Pharisæi, audito verbo hoc , scandalizati sunt ? At ille respôndens, ait: Omnis plantatio , quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur. Sinite illos : cæci sunt , & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præster, ambo in fôueam cadunt. Respôndens autem Petrus, dixit ei: Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis ? Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secum emittitur ? Quæ autem procédunt de ore , de corde exēunt, & ea coinquant hóminem: de corde enim exēunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae. Hæc sunt, quæ coinquant hóminem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquat hóminem.

P. 11.

Offertorium. Dómine, fac me cum misericordiam tuam propter nomen tuum : quia suavis est misericordia tua. Secreta.

**S**Vscipe , quæsumus Dómine, preces populi tui cum oblationibus hostiarum: & tua mysteria celebrantes , ab omnibus nos defende periculis. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, vt in Dominica præcedenti. fol. 106.

Communio. N otas mihi fecisti vias vitæ: adimplébis me lætitia cum vultu tuo, Dómine. Postcommunio.

**S**Anctificet nos, Dómine, quæ pasti sumus, mensa cælestis: & à cunctis erróribus expiatos supernis promissionibus reddat acceptos. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones , vt in Dominica præcedenti. fol. 107.

Super populum. Oremus.

Humiliâte capita vestra Deo.

Oratio.

**C**oncede quæsumus omnipo-tens Deus : vt qui protectio-nis tuæ gratiā querimus, liberati à malis omnibus, secûra tibi mente seruâmus. Per Dóminum.

F E R I A Q V I N T A.  
Statio ad sanctos Cosmam &  
Damianum. Introitus.



Alus populi ego sum, dicit Dóminus: de quacumque tribulatiōne clamauerint ad me, exaudiem eos: & ero illorum Dóminus in perpetuum. Psalm. Attende popule meus legem meam: inclinâte aurem vestram in verba oris mei. y. Glória Patri.

Ora-

## Oratio.

**M**agnificet te, Dómine, sanctorum tuorum Cosmæ & Damiani beatæ solémnitas: qua & illis glóriam sempitérnam, & opem nobis ineffabili prouidéntia contulisti. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, vt in Domini-  
ca præcedenti. fol. 105.

## Léctio Ieremíæ Prophétæ.

**I**n diébus illis: Factum est verbum Dómini ad me, dicens: Sta in porta domus Dómini, & prædica ibi verbum istud, & dic: Audite verbum Dómini omnis Iuda, qui ingredímini per portas has, vt adoréritis Dóminum. Hæc dicit Dóminus exercítuum Deus Israél: Bonas facite vias ve-  
stras, & stúdia vestra: & habitábo vobíscum in loco isto. Nolite confidere in verbis mendácijs, dicéntes: Templum Dómini, templum Dómini, templum Dómini est. Quóniam si benè direxéritis vias vestras, & stúdia ve-  
stra: si fecéritis iudícium inter virum & próximum eius, áduenæ, & pupillo, & víduæ non fecéris-  
tis calúmniam, nec sanguinem  
innocéntem effudéritis in loco  
hoc, & post deos alienos non  
ambulauéritis in malum vobis-  
metípsis: habitábo vobíscum in  
loco isto, in terra, quam dedi  
pátribus vestris à sǽculo & usque  
in sǽculum: ait Dóminus omní-  
potens.

Graduale. O culi ómnium in te  
sperant Dómine: & tu das illis escam  
in tempore opportuno. *¶*. Aperis tu

manum tuam, & imples omne ánimal  
benedictiōne.

S equéntia sancti Euangélij  
secundùm Lucam.

**I**n illo témporte: Surgens Iesu  
de synagóga, introiuit in do-  
mum Simónis. Socrus autem Si-  
mónis tenebáatur magnis febri-  
bus: & roguérunt illum pro ea. Et  
stans super illam, imperáuit febri:  
& dimisit illam. Et continuo  
surgens, ministrábat illis. Cùm  
autem sol occidísset, omnes qui  
habébant infirmos variis languó-  
ribus, ducebant illos ad eum. At  
ille singulis manus impónens, cu-  
rābat eos. Exibant autem dæmónia  
à multis, clamántia & dicén-  
tia: Quia tu es Fílius Dei: & in-  
crepans non sinébat ea loqui, quia  
sciébant ipsum esse Christum.  
Facta autem die egréssus ibat in  
desertum locum, & turbæ requiri-  
abant eum, & venérunt usque  
ad ipsum: & detinébant illum ne  
discéderet ab eis. Quibus ille ait:  
Quia & áliis ciuitatibus opórtet  
me euangelizare regnum Dei:  
quia ídeò missus sum. Et erat præ-  
dicans in synagógis Galilææ.

Offertorium. Si ambuláuero in  
médio tribulatiōnis, uiuificábis me  
Dómine: & super iram inimicórum  
mēorum exténdes manum tuam, &  
saluum me faciet déxtera tua.

## Secreta.

**I**n tuorum, Dómine, pretiobis  
morte iustorum sacrificium il-  
lud offérimus, de quo martyrium  
sumpshit omne principium. Per  
Dóminum nostrum.

Aliæ Secretæ, vt in Dominica  
præcedenti. fol. 106.

Communio. Tu mandasti, man-  
data tua custodiri nimis: utinam diri-  
gantur viæ meæ ad custodiendas ius-  
tificationes tuas. Postcommunio.

**S**It nobis, Dómine, sacraménti  
tui certa saluatio: quæ cum  
beatōrum mártirum tuōrum Co-  
smæ & Damiani méritis implorā-  
tur. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, vt in  
Dominica præcedenti. fol. 107.

Super populum. Orémus.  
Humiliâte capita vestra Deo.

Oratio.

**S**Vbiéctum tibi pôpulum, quæ-  
sumus Dómine, propitiatio  
cælestis amplificeret: & tuis semper  
faciat seruire mandatis. Per Dó-  
minum nostrum.

## FERIA SEXTA.

Statio ad sanctum Laurentium  
in Lucina. Introitus.

**E**Ac tecum, Dómine, si-  
gnum in bonum: vt ví-  
deant qui me odérunt, &  
confundantur: quóniam  
tu Dómine adiuuísti me, & consolá-  
tus es me. Psalm. Inclína Dómine  
aurem tuam, & exaudi me: quóniam  
ínops & pauper sum ego. y. Glória  
Patri.

Oratio.

**I**Eiúnia nostra, quæsumus Dó-  
mine, benígo fauore prosé-  
quere: vt sicut ab aliméntis absti-  
nemus in corpore; ita à vitiis ieui-  
nemus in mente. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, vt in Domini-  
ca præcedenti. fol. 105.

Léctio libri Númeri.

**I**N diébus illis: Conuenérunt  
filiij Israël aduérsum Móysen  
& Aaron: & versi in seditionem,  
dixerunt: Date nobis aquam, vt  
bibamus. Ingressusque Móyses  
& Aaron, dimissa multitûdine,  
tabernáculum foederis, corrué-  
runt proni in terram, clama-  
ueruntque ad Dóminum, atque  
dixerunt: Dómine Deus, audi  
clamorem huius pôpuli, &  
áperi eis thesáurum tuum fon-  
tem aquæ viuæ, vt satiati, cesse-  
mur murratio eorum. Et appáruit  
glória Dómini super eos. Locu-  
tusque est Dóminus ad Móysen,  
dicens: Tolle virgam, & congre-  
ga pôpulum, tu & Aaron fra-  
ter tuus, & loquimini ad petram  
coram eis, & illa dabit aquas:  
Cumq[ue] edúxeris aquam de pe-  
tra, bibet omnis multitûdo, &  
iumenta eius. Tulit igitur Móy-  
ses virgam, quæ erat in conspé-  
ctu Dómini, sicut præcéperat ei,  
congregata multitûdine ante pe-  
tram, dixitque eis: Audite re-  
belles & incréduli: Num de pe-  
tra hac vobis aquam potérimus  
eiicere? Cumq[ue] eleuásset Móy-  
ses manum, percutiens virga bis  
sílicem, egressæ sunt aquæ largis-  
simæ, ita vt pôpulus biberet, &  
iumenta. Dixitque Dóminus ad  
Móysen & Aaron: quia non  
credidistis mihi, vt sanctificare-  
tis me coram filiis Israël, non in-  
troducetis hos pôpulos in ter-  
ram, quam dabo eis. Hæc est  
aqua contradictonis, vbi iurgati-  
sunt

Num.

Exodi  
17.  
Num.

sunt filii Israël contra Dóminum, & sanctificatus est in eis.

**Graduale.** In Deo sperauit cor meum, & adiutus sum: & refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor illi. **Ad te** Dómine clamáui: Deus meus ne síleas, ne discédas à me.

**Tractus.** Dómine, non secundum peccata nostra, quae fecimus nos, neque secundum iniurias nostras retribus nobis. **Dómine,** ne memineris iniuriam nostrarum antiquarum: citò anticipent nos misericordiae tuæ, quia pauperes facti sumus. nimis. **Adiuua** nos Deus salutarius noster: & propter gloriam nominis tui Dómine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

**Sequentia** sancti Euangélii secundum Ioánnem.

**I**n illo tempore: Venit Iesus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. Venit muller de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere. (Discípuli enim eius abierant in ciuitatem ut cibos emerent.) Dicit ergo ei muller illa Samaritana: Quomodo tu Iudeus cum sis, bibere à me poscis, quae sum muller Samaritana? non enim coiuntur Iudei Samaritanis. Respóndit Iesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedicas tibi aquam viuam. Dicit ei

muller: Dómine, neque in quo haurias habes, & púteus altus est, vnde ergo habes aquam viuam? Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis púteum, & ipse ex eo babit & filii eius, & pecora eius? Respóndit Iesus, & dixit ei: Omnis qui babit ex aqua hac, sicut iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sicut in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Dicit ad eum muller: Dómine, da mihi hanc aquam, vt non sítiam, neque véniam huc haurire. Dicit ei Iesus: Vade, voca virum tuum, & veni huc. Respóndit muller, & dixit: Non hábeo virum. Dicit ei Iesus: Benè dixisti, quia non hábeo virum quinque enim viros habuisti; & nunc, quem habes, non es tuus vir: hoc verè dixisti. Dicit ei muller: Dómine, vídeo quia Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dícitis, quia Ierosolymis est locus, ubi adorare opóret. Dicit ei Iesus: Muller, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudeis est. Sed venit hora, & nunc es, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spíitu & veritate. Nam & Pater tales querit, qui adórent eum. Spíritus est Deus: & eos, qui adórant eum, in spíitu & veritate

opòrtet adorâre. Dicit ei mûlier: Scio, quia Messias venit ( qui dicitur Christus. ) Cùm ergo vénérit ille, nobis annuntiâbit ómnia. Dicit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum. Et contínuò venérunt discípuli eius: & mirabântur quia cum muliere loquebâtur. Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid lóqueris cum ea? Relíquit ergo hydriam suam mûlier, & ábiit in ciuitâtem, & dicit illis homínibus: Venite, & videte hóminem, qui dixit mihi ómnia quæcúmque feci: numquid ipse est Christus? Exiérunt ergo de ciuitâte, & veniébant ad eum. Intéreà rogábant eum discípuli, dicentes: Rabbi, mandúca. Ille autem dicit eis: Ego cibum hábeo manducâre, quem vos nesciatis. Dicébant ergo discípuli ad ínuicem: Numquid áliquis áttulit ei manducâre? Dicit eis Iesus: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius. Nónne vos dicitis, quòd adhuc quátuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis: Leuâte óculos vestros, & videte regíones, quæ albæ sunt iam ad messem. Et qui metit, mercédem accipit, & congregat fructum in vitam ætérnam: vt, & qui séminal, simul gáudeat, & qui metit. In hoc enim est verbum vérum: quia álius est qui séminal, & álius est qui metit. Ego misi vos méttere, quod vos non laborâstis: álij laborauérunt, & vos in labóres eôrum introistis. Ex ciuitate

autem illa multi credidérunt in eum Samaritanôrum, propter verbum mulieris testimónium perhibéntis: Quia dixit mihi ómnia quæcúmque feci. Cùm venissent ergo ad illum Samaritáni, rogaue- runt eum vt ibi manéret. Et man- sit ibi duos dies. Et multò plures credidérunt in eum propter ser- mònem eius. Et mulieri dicébant: Quia iam non propter tuam lo- quélam crèdimus: ipsi enim audíuimus, & scimus, quia hic est verè Saluâtor mundi.

Offertorium. Inténde voci ora-  
tiônis meæ, Rex meus & Deus meus,  
quóniam ad te orâbo, Dómine.

### Secreta.

**R** Espice, quæsumus Dómine, propítius ad múnera, quæ sacrâmus: vt tibi grata sint, & no- bis salutária semper existant. Per Dóminum nostrum.

Aliæ Secretæ, vt in Dominica præcedenti. fol. 106.

Communio. Qui biberit aquam, quam ego dabo ei, dicit Dóminus, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam ætérnam. Postcommunio.

**H** Viis nos, Dómine, percéptio sacraménti mundet à crímine: & ad cælestia regna per- ducat. Per Dóminum nostrum.

Aliæ Postcommuniones, vt in Dominica præcedenti. fol. 107.

Super populum. Orémus.

Humiliâte cápita vestra Deo.

### Oratio.

**P**Ræsta quæsumus omnipo- tens Deus: vt qui in tua pro- tectione confidimus, cuncta no-

bis aduersántia, te adiuuánte, vin-  
cámus. Per Dóminum.

### S A B B A T O. *Statio ad sanctam Susannam.*

Introitus.

*P. 5.* Erba mea áuribus pér-  
ce Dómine, intellíge cla-  
môrem meum: inténde  
voci orationis meæ, Rex  
meus, & Deus meus *Psalm.* Q uóniam  
ad te orábo Dómine: manè exáudies  
vocem meam. *y.* Glória Patri.

Oratio.

**P**RÆSTA quæsumus omnípo-  
tens Deus: vt qui se, affligéndo  
carnem, ab aliméntis absti-  
nent, sectândo iustitiam, à culpa  
ieiúnent. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, vt in Domini-  
ca præcedenti. fol. 105.

Léctio Daniélis Prophétæ.

*Dan.* **I**N diébus illis: Erat vir hábi-  
tans in Babylône, & nomen  
eius Ióakim: & accépit vxorem  
nómine Susánnam, filiam Heli-  
cæ, pulchram nimis, & timén-  
tem Deum: paréntes enim illiūs,  
cùm essent iusti, erudiérunt filiam  
suam secundùm legem Móysi.  
Erat autem Ióakim diues valde,  
& erat ei pomárium vicinum dò-  
mui suæ: & ad ipsum confluébant  
Iudæi, eò quod esset honorabí-  
lior ómnium. Et constitúti sunt  
de pôpulo duo senes iúdices in  
illo anno: de quibus locútus est  
Dóminus: Quia egréssa est iní-  
quitas de Babylône à senioribus  
iudícib⁹, qui videbántur régere  
pôpulum. Isti frequentábant do-

mum Ióakim, & veniébant ad  
eos omnes qui habébant iudícia.  
Cùm autem pôpulus reuertíset  
per meridiem, ingrediebátur Su-  
sánnā, & deambulâbat in pomá-  
rio viri sui. Et vidébant eam senes  
quotídie ingrediéntem, & deambu-  
lántem: & exarsérunt in con-  
cupiscéntiam eius: & euerterunt  
fensem suum, & declinauérunt  
óculos suos vt non vidérent cæ-  
lum, neque recordaréntur iudi-  
ciórum iustórum. Factum est au-  
tem, cùm obseruárēt diem aptum,  
ingréssa est aliquando sicut heri  
& nudiustértius, cum duábus sol-  
lis puéllis, voluítque lauári in po-  
mário: æstus quippe erat: & non  
erat ibi quisquam, præter duos  
senes absconditos, & contem-  
plantes eam. Dixit ergo puéllis:  
Afférte mihi óleum, & smigma-  
ta, & óstia pomárij cláudite, vt  
lauer. Cùm autem egréssæ es-  
sent puéllæ, surrexérunt duo se-  
nes, & accurrérunt ad eam, & di-  
xérunt: Ecce óstia pomárij clau-  
sa sunt, & nemo nos videt, &  
nos in concupiscéntia tui sumus:  
quamobrem assentire nobis, &  
commiscere nobiscum. Quòd si  
nolueris, dicémus contrate testi-  
mónium, quòd fuerit tecum iú-  
uenis, & ob hanc causam emis-  
ris puéllas à te. Ingémuit Susá-  
na, & ait: Angústiæ sunt mihi  
úndique: si enim hoc égero, mors  
mihi est: si autem non égero, non  
effugiam manus vestras. Sed mé-  
lius est mihi absque ópere incide-  
re in manus vestras, quam pec-  
cäre

câre in conspectu Dómini. Et exclamauérunt autem & seneſ aduérſus eam. Et cucúrrit vnuſ ad óſtia pomárij, & apéruit. Cùm ergo audíſſent clamórem famuli domus in pomário, irruérunt per poſticum vt vidérent quidnam eſſet. Poſtquam autem ſeneſ locutiſunt, erubuérunt ſerui vehe- menter: quia numquam dictus fluerat fermo huiuscēmodi de Suſánnā. Et facta eſt dies cráftina. Cumque veníſſet pópulus ad Ioa- kím virum eius, venérunt & duo ſeniores pleni iniqua cogita- tione aduérſus Suſánnā, vt interficerent eam. Et dixérunt coram pópulo: Mittite ad Suſánnā filiam Helcīæ vxōrem Ioákim. Et statim misérunt. Et venit cum paréntibus, & filiis, & vniuérſis cognátis ſuis. Flebant ígitur ſui, & omnes qui nouerant eam. Consurgéntes autem duo ſeniores in médio pópuli, poſuérunt manus suas ſuper caput eius. Quæ flens ſuspéxit ad cælum: erat enim cor eius fidúciam ha- bens in Dómino. Et dixérunt ſeniores: Cùm deambularémus in pomário ſoli, ingrēſſa eſt hæc cum duabus puellis: & clausit óſtia pomárij, & dimiſit à ſe puellas. Venítque ad eam adoléſcens, qui erat abſconditus, & concúbuit cum ea. Porro nos, cùm eſſemus in ángulo pomárij, vidéntes iniquitatem, cucúrriimus ad eos, & vídimus eos páriter commiſcéri. Et illum qui-

dem non quiuimus comprehén- dere, quia fórtior nobis erat, & apértis óſtiis exiliuit: hanc au- tem cùm apprehendíſſemus, in- terrogáuimus, quisnam eſſet adoléſcens, & nóluit indicáre nobis: huius rei teſtes ſumus. Crédidit eis multitudo quaſi ſenibus & iudícibus pópuli, & conden- nuérunt eam ad mortem. Exclamauérunt autem voce magna Suſánnā, & dixit: Deus æterne, qui abſ- conditórum eſt cōgnitor, qui no- ſti ómnia ántequam fiant, tu ſciſ quóniam falſum teſtimónium tu- lérunt contra me: & ecce mó- rior, cùm nihil horum feſcerim, quæ iſti malitiósè compoſuérunt aduérſum me. Exaudiuit autem Dóminus voce eius. Cumque ducerétur ad mortem, fuſcitáuit Dóminus ſpíritum ſanctum púe- ri iunióris, cuius nomen Dániel: Et exclamauit voce magna: Mu- dus ego ſum à ſanguine huius. Et conuérſus omnis pópulus ad eum, dixit: Quis eſt iſte fermo, quem tu locútus eſt? Qui cùm staret in médio eōrum, ait: Sic fatui filij Iſraël, non iudicantes, neque quod verum eſt cogno- ſcēntes, condeſtrastis filiam Iſ- raël? Reuertímini ad iudícium, quia falſum teſtimónium locúti ſunt aduérſus eam. Reuérſus eſt ergo pópulus cum festinatōne. Et dixit ad eos Dániel: Separáte illos ab iñuicem procul, & diiu- dicábo eos. Cùm ergo diuíſi eſſent alter ab altero, vocáuit vnum de eis, & dixit ad eum: Inueteráte

diērum malōrum , nunc venē-  
runt peccāta tua , quæ operabāris  
priūs; iūdicans iudicia iniūsta , in-  
nocētes opprimens , & dimī-  
tens nōxios , dicēte Dōmino: In-  
nocētem & iustum non interfici-  
es. Nunc ergo si vidisti eam , dic  
sub qua árbore videris eos collo-  
quētes sibi. Qui ait: Sub schino.  
Dixit autem Dāniel : Recte men-  
tītus es in caput tuum. Ecce enim  
Angelus Dei accēpta sentētia ab  
eo , scindet te médium. Et , amō-  
to eo , iussit venire álium , & dixit  
ei: Semen Chānaan , & non Iu-  
da , spēcies decēpit te , & concu-  
piscētia subuērit cor tuum : sic  
faciebātis filiābus Israēl , & illæ  
timēentes loquebāntur vobis: sed  
filia Iuda non sustinuit iniquitatē  
vestram. Nunc ergo dic mihi , sub qua árbore comprehēn-  
deris eos loquéntes sibi. Qui ait:  
Sub prino. Dixit autem ei Dāniel : Recte mentītus es & tu in  
caput tuum : manet enim Angelus Dōmini , glādium habens , vt  
fecet tē médium , & interficiat  
vos. Exclamāuit itaque omnis  
coetus voce magna , & benedixē-  
runt Deum , qui saluat sperāntes  
in se. Et consurrexérunt aduērsus  
duos seniores ( conuicerat enim  
eos Dāniel ex ore suo falso dixisse testimónium ) fecerūntque  
eis sicut malē égerant aduērsus  
próximo: & interfecerunt eos ,  
& saluātus est sanguis innōxius in  
die illa.

Graduale. Si ámbulem in médio  
vibrāe mortis , non timēbo mala :

quóniam tu mecum es , Dōmine.  
¶ Virga tua , & báculus tuus , ipsa me  
consolāta sunt.

S equēntia sancti Euangēlij  
secundūm Iōannem.

Ioan. **N**illo témpore: Perréxit Iesū  
in montem Oliuéti: & dilū-  
culo iterūm venit in templum ,  
& omnis pōpulus venit ad eum ,  
& sedens docēbat eos. Addūcunt  
autem Scribāe , & Pharisāi , mu-  
līerē in adulterio deprehēnsam:  
& statuérunt eam in médio , &  
dixérunt ei: Magíster , hæc mū-  
lier modò deprehēnsa est in adul-  
terio. In lege autem Móyses mandāuit nobis huiūsmodi lapidare.  
Tu ergo quid dicas? Hoc autem  
dicēbant tentantes eum , vt pos-  
sent accusāre eum. Iesū autem  
inclínans se deorsum , dígito scri-  
bēbat in terra. Cùm ergo perse-  
uerārent interrogantes eum , eré-  
xit se , & dixit eis: Qui sine peccā-  
to est vestrūm , primus in illam lá-  
pidem mittat. Et iterūm se inclí-  
nans , scribēbat in terra. Audiēntes  
autem , vnuſ post vnuſ exí-  
bant , incipiēntes à seniōribus: &  
remānsit solus Iesū , & mūlier in  
média stans. Erigens autem se Ie-  
sū dixit ei : mulier , vbi sunt , qui  
te accusābant? nemo te condem-  
nāuit? Quæ dixit : Nemo , Dōmi-  
ne. Dixit autem Iesū : Nec ego te  
condemnābo: Vade , & iam amplius noli peccāre.

Psal. **O**ffertorium. Gressus meos dirige  
secundūm clóquium tuum : vt non  
dominētur mei omnis iniustitia , Dō-  
mine.

## Secreta.

**C**oncēde quæsumus omni-potens Deus: ut huius sacrificij munus oblātum, fragilitatē nostram ab omni malo purget semper, & muniat. Per Dóminum nostrum.

Aliæ Secretæ, vt in Dominica præcedenti. fol. 106.

Communio. Nemo te condemnāvit, mulier? nemo, Dómine: nec ego te condemnābo: iam amplius noli peccāre. Postcommunio.

**Q**uæsumus omni-potens Deus: vt inter eius membra numeremur, cuius corpori communiamus, & sanguini. Qui tecum viuit & regnat.

Aliæ Postcommuniones, vt in Dominica præcedenti. fol. 107

Super populum. O remus.

Humiliatiæ capitâ vestra Deo. Oratio.

**P**ræténde Dómine fidélibus tuis dexteram cælestis auxiliij: vt te toto corde perquirant, & quæ dignè postulant, consequi mereantur. Per Dóminum.

**D O M I N I C A . I I I I .**  
in Quadragesima.

*Statio ad sanctam Crucem  
in Ierusalem.*

Introitus.



**A**etare Ierusalem: & conuenitum facite omnes qui diligitis eam: gaudete cum lætitia, qui in tristitia fuistis: vt exultetis, & satiemini aubéribus consolationis vestræ. Psalmus. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Dómini ibimus. Glória Patri.

## Oratio.

**C**oncēde quæsumus omni-potens Deus: ut qui ex mérito nostræ actiōnis afflígimur, tuæ gratiæ consolatione respiremus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum.

Ad poscenda suffragia Sanctorum. Oratio.

**A**cunctis nos, quæsumus Dómine, mentis & corporis defende periculis: & intercedente beata & gloriōsa semper vírgine Dei genitrice María, cum beatís Apóstolis tuis Petro & Paulo, atque beato N. & omnibus Sanctis, salutem nobis tribue benignus & pacem; vt, destructis aduersitatibus & erróribus vniuersis, Ecclésia tua secúra tibi seruiat libertatē.

Pro viuis & defunctis.

Oratio.

**O**mnipotēs sempiternæ Deus, qui viuorum dominariis simul & mortuorum, omniumque miserériis, quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis: te supplices exoramus; vt, pro quibus effundere preces decreuimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne rétinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit; intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

**L**ectio Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Gálatas.

**F**ratres, Scriptū est: Quóniam Abraham duos filios hábuit:

vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per re promissiōnem: quae sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamēta. Vnum quidem in monte Sina, in seruitūtem generans: quae est Agar: Sina enim mons est in Arábia, qui coniunctus est ei, quae nunc est Ierúsalem, & seruit cum filiis suis. Illa autem, quae sursum est Ierúsalem, libera est; quae est mater nostra. Scriptum est enim: Lætare stérilis, quae non paris: erúmpe, & clama, quae non párturis: quia multi filij desértæ, magis quam eius quae habet virum. Nos autem fratres secundum Isaac promissiōnis filij sumus. Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spíritum: ita & nunc. Sed quid dicit Scriptura? Eijce ancillam, & filium eius: non enim heres erit filius ancilla cum filio líberæ. Itaque, fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberauit.

*P. fol.  
122.* Graduale. Lætatus sum in his quae dicta sunt mihi: in domum Dómini ibimus. *¶*. Fiat pax in virtute tua: & abundātia in túrribus tuis.

*P. fol.  
124.* Traictus. Qui confidunt in Dómino, sicut mons Sion: non commouēbitur in æternum, qui hábitat in Ierúsalem. *¶*. Montes in circuitu eius: & Dóminus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & usque in saeculum.

Sequéntia sancti Euangélij secundum Ioánnem.

**I**n illo tempore: Abiit Iesu trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis: & sequebatur eum multitudo magna, quia vidébant signa, quae faciébat super his qui infirmabantur. Súbiit ergo in montem Iesu: & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem próximum pascha, dies festus Iudæorum. Cùm subleuasset ergo oculos Iesu, & vidisset, quia multitudo máxima venit ad eum, dixit ad Philíppum: Vnde ememus panes, ut mandúcent hi? Hoc autem dicébat tentans eum: ipse enim sciébat quid esset facturus. Respóndit ei Philíppus: Ducentórum denariórum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque módicum quid accípiat. Dicit ei unus ex discipulis eius, Andréas frater Simónis Petri: Est puer unus hic, qui habet quinque panes ordeáceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? Dixit ergo Iesu: Fácite homines discumbere. Erat autem foenum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. Accépit ergo Iesu panes: & cùm grárias egisset, distríbuit discumbéntibus: similiter & ex píscibus quantum volébant. Ut autem impléti sunt, dixit discipulis suis: Collígite quae superauérunt fragmēta, ne péreant. Collegérunt ergo, & impleuérunt duodecim cophinos fragmentórum, ex quinque pánibus ordeáceis,

quæ super fuérunt his qui manducáuerant. Illi ergo hómines cùm vidíssent quod Iesus fécerat signum, dicébant: Quia hic est verè Prophéta, qui ventúrus est in mundum. Iesus ergo cùm cognouisset, quia ventúri essent vt rápererent eum, & fácerent eum regem, fugit iterùm in montem ipse solus. Credo.

Offertorium. Laudáte Dóminum, quia benígnus est: psálite nómini eius, quóniam suáuis est: ómnia quæcúmque vóluit, fecit in cælo & in terra.

Secreta.

**S**acrificiis præsentibus, Dómine quæsumus, intende placatus: vt & deuotíoni nostræ proficiant, & salutem. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ.

**E**xaudi nos Deus salutarius noster: vt per huius sacramenti virtutem, à cunctis nos mentis & corporis hóstibus tuearis; gratiā tribuens in præsenti, & gloriā in futurō.

**D**eus, cuius soli cognitus est numerus electórum in supérrna felicitate locándus: tríbue quæsumus, vt intercedéntibus omnibus Sanctis tuis, vniuersórum, quos in oratiōne commendátos suscépiimus, & omnium fidélium nómina, beatæ prædestinatiōnis liber adscripta retineat. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

Communio. Ierusalēm, quæ adificatur vt ciuitas, cuius participatiōcius in idípsū: illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini, ad confitendum nómini tuo Dómine.

Postcommunio.

**D**a nobis, quæsumus misericors Deus: vt sancta tua, quibus incessanter explémur, sincéris tractémus obséquiis, & fideli semper mente sumámus. Per Dóminum nostrum.

Aliæ Postcommuniones.

**M**undet & muniat nos, quæsumus Dómine, diuini sacramenti munus oblátum: & intercedente beata vírgine Dei genitrix María, cum beatis Apóstolis tuis Petro & Paulo, atque beato N. & omnibus Sanctis; à cunctis nos reddat & peruersitatibus expiátos, & aduersitatibus expeditos.

**P**roficiant nos, quæsumus omnipotens & misericors Deus, sacramenta quæ sumpsimus: & intercedéntibus omnibus Sanctis tuis, præsta; vt hoc tuum sacramentum non sit nobis réatus ad pœnam, sed intercessio salutarius ad veniam: sit ablútio scelerum, sit fortitudo fragiliū, sit contra omnia mundi pericula firmamentum: sit viuorum atque mortuorum fideliū, remissio omnium delictorum. Per Dñm.

FERIA SECUNDA.

Statio ad sanctos Quatuor Coronatos. Introitus.



Eus in nómine tuo salvum me fac, & in virtute tua libera me: Deus audi orationem meam: auribus percipe verba oris mei. Psalmus. Quóniam alieni insurrexerunt

in me: & fortis quæsíerunt ánimam meam. ¶ Glória Patri. Oratio.

**P**raesta quæsumus omnípotens Deus: vt obseruationes sacras ánnua deuotioñe recoléntes, & córpore tibi placeámus, & mente. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, vt in Domini-  
ca præcedenti. fol. 120.

### Léctio libri Regum.

**I**N diébus illis: Venérunt duæ mulieres meretrices ad regem Salomonem, steteruntque coram eo; quarum vna ait: Obsecro mi domine, ego & múlier hæc habita-bamus in domo vna, & péperi apud eam in cubículo. Tertia autem die postquam ego péperi, péperit & hæc: & erâmus simul, nullusque álius nobiscum in domo, excéptis nobis duabus. Mórtuus est autem filius mulieris huius nocte. Dórmiens quippe opres-sit eum. Et consúrgens in tempéstæ noctis siléntio, tulit filium meum de latere meo ancilla tuæ dormientis, & collocáuit in sinu suo: suum autem filium, qui erat mórtuus, pósuit in sinu meo. Cumq[ue] surrexísem manè vt darem lac filio meo, appáruit mórtuus: quem diligenter intuens clara luce, deprehendi non esse meum quem genue-ram. Respondítque álera múlier: Non est ita vt dicis, sed filius tuus mórtuus est: meus autem viuit. E contrario illa dicébat: Men-tiris: filius quippe meus viuit, & filius tuus mórtuus est. Atque in hunc modum contendébant co-

ram rege. Tunc rex ait: Hæc di-cit: Filius meus viuit, & filius tuus mórtuus est. Et ista respóndit, Non, sed filius tuus mórtuus est, meus autem viuit. Dixit ergo rex: Afférte mihi gládium. Cumq[ue] attulíssent gládium coram rege, Diuidite, inquit, infantem viuum in duas partes, & date dimidiām partem vni, & dimidiām partem álteri. Dixit autem múlier, cuius filius erat viuuus, ad regem: ( com-mota sunt quippe víscera eius super filio suo: ) Obsecro domine, date illi infantem viuum, & nolite interficere eum. E contrario illa dicébat: Nec mihi, nec tibi sit, sed diuidatur. Respóndit rex, & ait: Date huic infantem viuum, & non occidatur: hæc est enim mater eius. Audiuit itaque omnis Israël iudícium quod iudicáset rex, & timuérunt regem, vidéntes sapiéntiam Dei esse in eo ad faciéndum iudícium.

Graduale. E sto mihi in Deum p[ro]tectorē, & in locum refugij: vt saluum me fácias. ¶ Deus in te speráui: Dómine non confundar in æternum.

Tractus. Dómine, non secundūm peccata nostra, quæ fecimus nos, neque secundūm iniquitatēs nostras retribus nobis. ¶ Dómine, ne memineris iniquitatūm nostrārum antiquārum: citò anticipent nos misericordiae tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. ¶ \* Adiuua nos Deus salutāris no-ster: & propter gloriām nōminis tui Dómine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

**S**equentia sancti Euangeliij secundum Ioannem.

**I**N illo tempore: Propè erat Pascha Iudæorum, & ascéndit Iesus Ierosolymam: & inuenit in templo vendentes boues, & oves, & columbas, & numulários sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiécit de templo, oves quoque, & boues, & numulariorum effudit æs, & mensas subuerit. Et his, qui columbas vendébant, dixit: Auferete ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiatiōnis. Recordati sunt verò discípuli eius quia scriptum est: Zelus domus tuæ comédit me. Respondérunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis quia hæc facis? Respóndit Iesus, & dixit eis: Sóluite tēplum hoc, & in tribus diébus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diébus excitabis illud? Ille autem dicēbat de templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discípuli eius, quia hoc dicēbat, & credidérunt Scripturæ, & sermoni quem dixit Iesus. Cum autem esset Ierosolymis in Pascha in die festo, multi credidérunt in nomine eius, videntes signa eius, quæ faciēbat. Ipse autem Iesus non credēbat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat ut quis testimoniū perhiberet de homine: ipse

enim sciēbat quid esset in homine.

Offertorium. Iubilāte Deo omniis terra, seruите Dómino in lætitia: intrate in cónspéctu eius in exultatione: quia Dóminus ipse est Deus.

Secreta.

**O** Blátum tibi Dómine sacrificium viuíficit nos semper, & muniāt. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, vt in Dominica præcedenti. fol. 122.

Communio. Ab occūltis meis munda me Dómine: & ab alienis parce seruo tuo. Postcommunio.

**S**Vmptis, Dómine, salutáribus sacraméntis: ad redemptiōnis æternæ, quæsumus, proficiāmus augmēntum. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, vt in Dominica præcedenti. fol. 122.

Super populum. Orémus. Humiliāte capita vestra Deo. Oratio.

**D**Eprecatiōnem nostram, quæsumus Dómine, benignus exaudi: & quibus supplicandi preſtas afféctum, tríbue defensiōnis auxílium. Per Dóminum.

F E R I A T E R T I A.  
Statio ad sanctum Laurenium.  
in Damaso. Introitus.



Xáudi Deus oratiōnem meam, & ne despéxeris deprecationem meam: intende in me, & exaudi me.

Psalm. Contristatus sum in exercitatione mea: & conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatiōne peccatoris.

**G**lória Patri. Oratio.  
**S**acræ nobis, quæsumus Dómine, obseruationis ieiunia;

& piæ conuersatiōnis augmēn-  
tum , & tuæ propitiatiōnis conti-  
nuum præstent auxílium. Per Dó-  
minum nostrum.

Aliaæ Orationes, vt in Dominica  
præcedenti. fol. 120.

### Léctio libri Exodi.

**I**N diébus illis: Locútus' est Dó-  
minus ad Móysen, dicens: De-  
scénde de monte: peccáuit pôpu-  
lus tuus, quem eduxísti de Terra  
Ægypti. Recesérunt citò de via,  
quam ostendísti eis: fecerúntque  
sibi vítulum conflatilem, & ado-  
rauerunt, atque immolantes ei  
hóstias, dixerunt: Isti sunt dij tui  
Israël, qui te eduxérunt de Terra  
Ægypti. Rursúmque ait Dómi-  
nus ad Móysen: Cerno quid pô-  
pulus iste duræ ceruicis sit: dimít-  
te me, vt irascátur furor meus con-  
tra eos, & déleam eos, faciámque  
te in gentem magnam. Móyses  
autem orábat Dóminum Deum  
suum, dicens: Cur, Dómine, irá-  
scitur furor tuus contra pôpulum  
tuum , quem eduxísti de Terra  
Ægypti in fortitudine magna , &  
in manu robusta ? Ne quæso dic-  
ant Ægyptij: Cállide edúxit eos,  
vt interficeret in móntibus, & de-  
lérer è terra: quiéscat ira tua , &  
esto placabilis super nequitia pô-  
puli tui. Recordâre Abraham,  
Isaac, & Israël, seruorum tuorum,  
quibus iurásti per temetípsum, di-  
cens : Multiplicábo semen ve-  
strum sicut stellas cæli: & vniué-  
sam terram hanc, de qua locútus  
sum, dabo sêmini vestro, & possi-  
débitis eam se imper. Placatúsque

est Dóminus ne faceret malum  
quod locútus fúerat aduérsum pô-  
pulum suum.

Graduale. E xúrge Dómine , fer  
opem nobis : & líbera nos propter no-  
men tuum. *¶*. Deus áuribus nostris  
audiuimus : & patres nostri annuntia-  
uérunt nobis opus, quod operátus es  
in diébus eórum , in diébus antiquis.

Sequéntia sancti Euangélij  
secundùm Ioánnem.

**I**N illo témpore : Iam die fe-  
sto mediante, ascéndit Iesu in  
templum, & docébat. Et mira-  
bántur Iudæi, dicentes: Quómo-  
do hic litteras scit, cùm non didí-  
cerit? Respóndit eis Iesu, & di-  
xit: Mea doctrína non est mea:  
sed eius , qui misit me. Si quis vo-  
luerit voluntâtem eius facere :  
cognoscet de doctrína, vtrum ex  
Deo sit, an ego à meípsò loquar.  
Qui à semetípsò lóquitur, gló-  
riam própriam quærerit. Qui autem  
quærerit glóriam eius , qui misit  
eum, hic verax est, & iniustitia in  
illo non est. Nónne Móyses dedit  
vobis legem : & nemo ex vobis  
facit legem ? quid me quæreris in-  
terfícere ? Respóndit turba , &  
dixit: Dæmonium habes : quis te  
quærerit interfícere ? Respóndit Iesu,  
& dixit eis: Vnum opus feci,  
& omnes mirámini. Proptéra  
Móyses dedit vobis circumcisiō-  
nem: ( non quia ex Móyse est, sed  
ex pátribus : ) & in Sábbato cir-  
cumciditis hóminem. Si circum-  
cisiōnem áccipit homo in Sábbato,  
vt non soluáatur lex Móysi: mihi  
indignámini quia totum hó-

minem sanum feci in Sábbato? Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicáte. Dicébant ergo quidam ex Ierosólymis: Nónne hic est, quem quærunt interficere? Et ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid verè cognouerunt príncipes quia hic est Christus? Sed hunc scimus vnde sit: Christus autem cum vénérat, nemo scit vnde sit. Clamabat ergo Iesus in templo docens, & dicens: Et me scitis, & vnde sim scitis: & à meíspo non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum: quia ab ipso sum, & ipse me misit. Quærébant ergo eum apprehéndere: & nemo misit in illum manus, quia nondum vénérat hora eius. De turba autem multi credidérunt in eum.

*Offertorium.* Ex pectans expectáui Dóminum, & respéxit me: & exaudíuit deprecationem meam: & immisit in os meum canticum nouum, hymnum Deo nostro.

*Secreta.*

**H**æc hóstia, Dómine quæsumus, emundet nostra delicta: & ad sacrificium celebrandum, subditórum tibi corpora mentésque sanctificet. Per Dóminum nostrum.

Aliæ Secretæ, vt in Dominica præcedenti. fol. 122.

*Communio.* Letabimur in salutári tuo: & in nōmine Dómini Dei nostri magnificábimur.

*Postcommunio.*

**H**uius nos, Dómine, percéptio sacraménti mundet à

crímine: & ad cælestia regna perdúcat. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, vt in Dominica præcedenti. fol. 122.

Super populum. Orémus.

*Humiliatiæ capita vestra Deo. Oratio.*

**M**iserere Dómine populo tuo: & contínuis tribulationibus laborántem, propítius respiare concéde. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

## FERIA QVARTA.

*Statio ad sanctum Paulum.*

*Introitus.*



Vm sanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de vniuersis terris: & effundam super vos aquam mundam, & mundabitini ab omnibus inquinamentis vestris: & dabo vobis spíritum nouum. Psalm. Benedic Dóminum in omni tempore: semper laus eius in ore meo. **Y.** Glória Patri.

*Post Kyrie eleison,* dicitur, Orémus. Flectamus géntia. **R.** Leuâte.

*Oratio.*

**D**eus, qui & iustis præmia meritórum, & peccatóribus per ieíunium véniam præbes: miserere supplícibus tuis; vt réatus nostri confessio, indulgentiam valeat percípere delictórum. Per Dóminum nostrum.

*Léctio Ezechiélis Prophétæ.*  
**H**æc dicit Dóminus Deus: Sanctificabo nomen meum magnum, quod pollútum est inter Gentes, quod polluistis in medio eârum: vt sciant Gentes quia ego

ego Dóminus, cùm sanctificátus fuero in vobis coram eis. Tollam quippe vos de Géntibus, & congregábo vos de vniuérsis terris, & addúcam vos in terram vestram. Et effúndam super vos aquam mundam, & mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris, & ab vniuérsis idólis vestris mundábo vos. Et dabo vobis cor nouum, & spíritum nouum ponam in médio vestri: & auferam cor lapídeum de carne vestra, & dabo vobis cor cárneum. Et spíritum meum ponam in médio vestri: & faciam vt in præcéptis meis ambulétis, & iudícia mea custodiáatis & operémini. Et habitábitis in terra, quam dedi Patribus vestris: & éritis mihi in pópolum, & ego ero vobis in Deum: dicit Dóminus omnípotens.

**Psal.** Graduale. Venite filij, audite me: timorem Dómini docébo vos. **¶**. Accédite ad eum, & illuminámini: & fácies vestrae non confundéntur.

Hic dicitur Dóminus vobiscum, sine Flectámus génuá.

O rēmus. Oratio.

**P**RÆSTA quæsumus omnípotens Deus: vt quos ieíunia votiua castígant, ipsa quoque deuotio sancta lätíficit: vt terrénis afféctibus mitigáatis, faciliùs cælestia capiámus. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, vt in Domini-  
ca præcedenti. f. 1. 120.

Léthio Isaiae Prophétæ.

**H**ÆC dicit Dóminus Deus: Lauámini, mundi estôte, auferite malum cogitatiōnum ve-

strârum ab oculis meis: qui escite ágere peruersè, discite benefacere: quærите iudícium, subuenite op-presso, iudicáte pupillo, defendite víduam. Et venite, & argúite me, dicit Dóminus: si fuerint peccâta vestra vt cóccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Si voluéritis, & audiéritis me, bona terræ comedêtis: dicit Dóminus omnípotens.

**Graduale.** Béata gens, cuius est Dóminus Deus eorum: póplus quem elégit Dóminus in hereditátem sibi. **¶**. Verbo Dómini cæli firmáti sunt: & spíritu oris eius omnis virtus eorum.

**Tractus.** Dómine, non secundum peccata nostra, quæ fecimus nos, neque secundum iniquitátes nostras retríbuas nobis. **¶**. Dómine, ne memineris iniquitatum nostrârum antiquârum: citò anticipent nos misericordiae tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. **¶**. \* Adiuua nos Deus salutâris nostrar: & propter glóriam nóminis tui Dómine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Sequentia sancti Euangélij secundum Ioánnem.

**I**N illo tempore: Prætériens Iesus videt hominem cæcum à nativitate: & interrogauérunt eum discípuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic aut paréntes eius, vt cæcus nasceretur? Respóndit Iesus: Neque hic peccauit, neque paréntes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo. Me opórtet operari opera eius qui misit me, donec dies est: venit nox, quando

nemo potest operari. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. Hæc cùm dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos eius, & dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloë (quod interpretatur Missus.) Abiit ergo, & lauit, & venit videns. Itaque vicini, & qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicabant: Nonne hic est, qui sedebat, & mendicabat? Alij dicabant: Quia hic est. Alij autem: Nequam, sed similis est ei. Ille vero dicebat: Quia ego sum. Dicabant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondebat: Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloë, & laua. Et abiit, laui, & video. Et dixerunt ei: Vbi est ille? Ait: Nescio. Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Iesus, & aperteuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & laui, & video. Dicabant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Alij autem dicabant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos. Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperteuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia Propheta est. Non crediderunt ergo Iudæi

de illo, quia cæcus fuisset, & vidisset, donec vocauerunt parentes eius qui viderant: & interrogauerunt eos, dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt? Respondérunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est: quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis eius aperteuit oculos nos nescimus: ipsum interrogate: ætatem habet, ipse de se loquatur. Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timabant Iudæos: iam enim conspirauerant Iudæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. Propterea parentes eius dixerunt: Quia ætatem habet, ipsum interrogate. Vocauerunt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo. Nos scimus quia hic homo peccator est. Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio: vnum scio, quia cæcus cùm essem, modò video. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperteuit tibi oculos? Respondebat eis: Dixi vobis iam, & audistis: quid iterum vultis audire? numquid & vos vultis discipuli eius fieri? Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Móysi discipuli sumus. Nos scimus quia Móysi locutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit. Respondebat ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est quia vos nesci-

tis vnde sit, & apéruit meos óculos: scimus autem quia peccatóres Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntátem eius facit, hunc exáudit. A sæculo non est audítum, quia quis apéruit óculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non pôterat facere quidquā. Respondérunt, & dixerunt ei: In peccátis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecérunt eum foras. Audiuit Iesus quia eiecérunt eum foras, & cùm inueníset eum, dixit ei: Tu credis in Fílium Dei? Respondit ille, & dixit: Quis est, Dómine, vt credam in eum? Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui lóquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo Dómine. \* Et prócidens adoráuit eum.

Offertorium. Benedícite Gentes Dóminum Deum nostrum, & obaudíte vocem laudis eius: qui posuit ánimam meam ad vitam, & non dedit commouéti pedes meos: benedíctus Dóminus, qui non amóuit deprecationem meam, & misericordiam suam à me.

Secreta.

**S**Vpplices te rogámus, omnípotens Deus: vt his sacrificiis peccata nostra mundéntur; quia tunc veram nobis tríbuis & ménitis & cóporis sanitátem. Per Dñm.

Aliæ Secretæ, vt in Dominica præcedenti. fol. 122.

Communio. Utum fecit ex sputo Dóminus, & liníuit óculos meos: & ábij, & laui, & vidi, & crèdidi Deo.

Postcommunio.

**S**Acraménta, quæ sumpsimus, Dómine Deus noster, & spiri-

tuálibus nos répleant aliméntis, & corporálibus tueántur auxiliis. Per Dóminum nostrum.

Aliæ Postcommuniones, vt in Dominica præcedenti. fol. 122.

Super populum. O rémus.

Humiliáte cárta vestra Deo.

Oratio.

**D**Ateant aures misericórdiæ tuæ Dómine précibus suppli-cantium: & vt peténtibus deside-rata concédas, fac eos quæ tibi sunt plácita postulare. Per Dómi-num nostrum.

### FERIA QVINTA.

Statio ad sanctum Siluestrum & Martinum. Introitus.



Ætétur cor quæréntium Dóminum: quærite Dóminum, & confirmámini: quærite fáciem eius sem-per. Psalmus. Confitémini Dómino, & inuocáte nōmen eius: annuntiáte inter Gentes ópera eius. y. Glória Patri.

Oratio.

**P**Ræsta quæsumus omnípo-tens Deus: vt quos ieíunia votíua castigant, ipsa quoque de-uotio sancta lètificet; vt terrénis afféctibus mitigatis, faciliùs cælestia capiámus. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, vt in Domini-ca præcedenti. fol. 120.

Léctio libri Regum.

**I**N diébus illis: Venit mûlier Su-namítis ad Eliséum in mon-tem Carméli. Cumqüe vidísset eam vir Dei econtrà, ait ad Giezi puerum suum: Ecce Sunamítis illa. Vade ergo in occúrsum eius,

Psal  
1044. Reg  
4. Ad

&amp;

& dicei: Rectè ne agitur circa te,  
 & circa virum tuum, & circa filium tuum? Quæ respóndit: Rectè. Cumque venísset ad vírum Dei in montem, apprehéndit pedes eius: & accéssit Giézi vt amoueret eam. Et ait homo Dei: Dimítte illam: ánima enim eius in amaritudine est, & Dóminus celáuit à me, & non indicáuit mihi. Quæ dixit illi: Numquid petíui filium à dómino meo? numquid non dixi tibi: Ne illúdas me? Et ille ait ad Giézi: Accínge lumbos tuos, & tolle báculum meum in manu tua, & vade. Si occúrrerit tibi homo, non salútes eum: & si salutáuerit te quíspiam, non respóndeas illi: & pones báculum meum super faciem púeri. Porrò mater púeri ait: Viuit Dóminus, & viuit ánima tua, non dimittam te. Surréxit ergo, & secútus est eam. Giézi autem præcésserat ante eos, & posúerat báculum super faciem púeri, & non erat vox, neque sensus: reuersusque est in occúrsu eius, & nuntiáuit ei, dicens: Non surréxit puer. Ingréssus est ergo Eliséus domum, & ecce puer mórtuus iacébat in léctulo eius: ingressusque clausit óstium super se, & super púerum: & oráuit ad Dóminum. Et ascéndit, & incubuit super púerum: posuitque os suum super os eius, & óculos suos super óculos eius, & manus suas super manus eius: & incurváuit se super eum: & calefacta est caro púeri. At ille reuersus

deambuláuit in domo, semel huc atque illuc, & ascéndit, & incubuit super eum: & oscitáuit puer sépties, aperuitque óculos. At ille vocáuit Giézi, & dixit ei: Voca Sunamítidem hanc. Quæ vocáta, ingrésa est ad eum. Qui ait: Tolle filium tuum. Venit illa, & corruit ad pedes eius, & adoráuit super terram: tulítque filium suum, & egrésa est, & Eliséus reuersus est in Gálga.

Graduale. Réspice Dómine in testaméntum tuum: & ánimas páuperum tuorum ne obliuiscáris in finem. ¶ Exúrge Dómine, iúdica causam tuam: memor esto opprobrii seruorum tuorum.

S equéntia sancti Euangélij secúndum Lucam.

Lucas 7,1 N illo tempore: Ibat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo discípuli eius, & turba copiosa. Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ: & hæc vidua erat: & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cùm vidisset Dóminus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accéssit, & tétigit lóculum. (Hi autem, qui portabant, stetérunt.) Et ait: Adoléscens, tibi dico, surge. Et resédit qui erat mórtuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matre suæ. Accépit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: Quia Prophëta magnus surréxit in nobis: & quia Deus visitáuit plebem suam.

*Psal.*  
69.  
**Offertorium.** Dómine ad adiu-  
uandum me festina : confundantur  
omnes, qui cogitant seruis tuis mala.

*Secreta.*

**P**erfíca nos misericors Deus:  
vt Ecclésia tuae preces, quæ  
tibi gratæ sunt, pia munera defe-  
réntes, fiant expiatis méntibus  
gratiōres. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, vt in Dominica  
præcedenti. fol. 122.

**C**ommunio. Dómine memorá-  
bor iustitiae tuae solius : Deus docuisti  
me à iuuentute mea : & usque in se-  
nētam & sénum, Deus ne derelin-  
quas me. *Postcommunio.*

**C**ælestia dona capientibus,  
quæsumus Dómine, non ad  
iudicium prouenire patiāris, quæ  
fidelibus tuis ad remédium pro-  
uidisti. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, vt in  
Dominica præcedenti. fol. 122.

Super populum. *O rēmus.*

*Humiliatè cæpta vestra Deo. Oratio.*

**P**opuli tui Deus institutor &  
rector, peccata, quibus impu-  
gnatur, expelle: vt semper tibi plá-  
citus, & tuo munimine sit secū-  
rus. Per Dóminum nostrum.

**F E R I A S E X T A.**  
*Statio ad sanctum Eusebium.*

*Introitus.*

  
Editatio cordis mei in  
conspéctu tuo semper:  
Dómine adiutor meus,  
& redemptor meus. *Psal-*  
*mus.* Cæli enarrant gloriām Dei : &  
ópera manuum eius annuntiat firma-  
mentum. *Glória Patri.*

*Oratio.*

**D**eus, qui ineffabilibus mun-  
dum rénuas sacraméntis:  
præsta quæsumus, vt Ecclésia tua  
& æternis proficiat institutis, &  
temporalibus non destituatur au-  
xiliis. Per Dóminum nostrum.

Aliæ Orationes, vt in Domini-  
ca præcedenti. fol. 120.

*Léctio libri Regum.*

**I**n diēbus illis: Ægrotauit fi-  
lius mulieris matris familiæ,  
& erat languor fortissimus, ita vt  
non remaneret in eo hálitus. Di-  
xit ergo ad Eliam: Quid mihi &  
tibi vir Dei ? Ingrēssus es ad  
me, vt rememoraréntur iniquitä-  
tes meæ, & interficeres filium  
meum ? Et ait ad eam Elías: Da  
mihi filium tuum. Tulitque eum  
de sinu eius, & portauit in coe-  
naculum vbi ipse manebat, &  
pôsuit super léctulum suum, &  
clamauit ad Dóminum, & dixit:  
Dómine Deus meus, étiam ne  
víduam, apud quam ego vtcum-  
que sustentor, afflixisti, vt inter-  
ficeres filium eius ? Et expán-  
dit se, atque mensus est super  
puerum tribus vícibus, & cla-  
mauit ad Dóminum, & ait: Dó-  
mine Deus meus, reuertatur ób-  
secro áнима pueri huius in vi-  
scera eius. Et exaudiuit Dóminus  
vocem Eliaz: & reueresa est áнима  
pueri intra eum, & reuixit. Tu-  
litque Elías puerum, & depôsuit  
eum de coenaculo in inferiorem  
domum, & trádidit matri suæ,  
& ait illi: En viuit filius tuus.  
Dixitque mulier ad Eliam: Nunc

3. REG.  
17 e

in

in isto cognoui, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum est.

**Graduale.** Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine. **Y.** Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.

**Tractus.** Domine, non secundum peccata nostra, quae fecimus nos, neque secundum iniquitates nostras retribus nobis. **Y.** Domine, ne memineris iniquitatum nostrorum antiquarum: citio anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis. **Y.** \* Adiuua nos Deus salutarius noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

S equentia sancti Euangeliij secundum Ioannem.

**I**N illo tempore: Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariae, & Martha sororis eius. ( Maria autem erat, quae vnxit Dominum vnguentum, & extersit pedes eius capillis suis: cuius frater Lazarus infirmabatur. ) Misérunt ergo sorores eius ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur. Audiens autem Iesus, dixit eis: Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum. Ut ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. Deinde post haec dixit discipulis suis:

Eamus in Iudeam iterum. Discunt ei discipuli: Rabbi, nunc querebant te Iudei lapidare, & iterum vadis illuc? Respondebat Iesus: Nonne duodecim sunt horas diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt: si autem ambulauerit in nocte, offendit quia lux non est in eo. Haec ait, & post haec dixit eis: Lazarus amicus noster dormit: sed vado ut a somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli eius: Domine, si dormit, saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte eius: illi autem putauerunt quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo Iesus dixit eis manifeste: Lazarus mortuus est: & gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad discipulos: Eamus & nos, ut moriamur cum eo. Venit itaque Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. (Erat autem Bethania iuxta Ieronymam quasi stadiis quindecim.) Multi autem ex Iudeis venerunt ad Martham & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. Martha ergo ut audiuit quia Iesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat. Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: sed & nunc scio, quia quemque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus. Dicit ei Martha:

Scio quia resurget in resurrectiōne in nouissimo die. Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio, & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi: Vtique Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. Et cum haec dixisset, abiit, & vocavit Mariam sororem suam filientio, dicens: Magister adest, & vocat te. Illa ut audierit, surgit citè, & venit ad eum: nondum enim vénérat Iesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. Iudei ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum videnter Maríam, quia citè surrexit & exiit, secuti sunt eam, dicentes: Quia vadit ad monuméntum, ut ploret ibi. María ergo, cum venisset ubi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dicit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Iesus ergo, ut vidi eam plorantem, & Iudeos, qui vénérant cum ea, plorantes, infrémuit spíritu, & turbauit seipsum, & dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni, & vide. Et lacrymatus est Iesus. Dixérunt ergo Iudei. Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui apertuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur? Iesus ergo rursum fremens in semetipso, ve-

nit ad monuméntum. Erat autem spelunca: & lapis superpositus erat ei. Ait Iesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror eius qui mortuus fuerat: Domine, iam fœtet, quatriduanus est enim. Dicit ei Iesus: Nonne dixi tibi, quóniam si credideris, vidébis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem: Iesus autem, eleutatis sursum oculis, dixit: Pater grárias ago tibi quóniam audisti me. Ego autem sciébam quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi: ut credant quia tu me misisti. Haec cum dixisset, voce magna clamauit: Lázare veni foras. Et statim prödiuit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus ictitis, & facies illius sudário erat ligata. Dixit eis Iesus: Sóluite eum, & sinite abire. Multi ergo ex Iudeis, qui vénérant ad Mariam & Martham, & videbant quæ fecit Iesus, credidérunt in eum.

Psal. 17. Offertorium. Pro opulum humilem saluum facies Domine, & oculos superborum humiliabis: quóniam quis Deus præter te, Domine?

#### Secreta.

Lenn. **M**inistra nos, Domine quæsumus, oblata purifcent: & te nobis iúgiter faciant esse placatum. Per Dominum nostrum.

Aliæ Secretæ, ut in Dominica præcedenti. fol. 122.

Communio. Videntis Dominus flentes sorores Lázari ad monuméntum, lacrymatus est coram Iudeis, & exclamauit: Lázare veni foras: &

pródiit ligatis mánibus & pédibus, qui fúerat quatriduánus mórtuus.

### Postcommunio.

**H**Æc nos, quæsumus Dómi-ne, participatio sacraménti & à pròpriis réatibus indefinénter expédiat, & ab ómnibus tueá-tur aduérsis. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, vt in Dominica præcedenti. fol. 122.

Super populuni. O rémus.

Humiliáte capita vestra Dco.

### Oratio.

**D**A nobis, quæsumus omní-potens Deus: vt qui infirmitatis nostræ cónscij, de tua virtute confidimus, sub tua semper pietate gaudeámus. Per Dñm.

## S A B B A T O.

Statio ad S. Nicolaum in carcere.

### Introitus.

 Itiéntes veníte ad aquas, dicit Dóminus: & qui non habétis préium, veníte, & bóbite cum lætitia. Psalmus. A tréndite pòpule meus legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei. **y.** Glória Patri.

### Oratio.

**F**Iat, Dómine quæsumus, per grátiam tuam fructuôsus nostræ deuotîonis afféctus: quia tunc nobis próderunt suscep-tieiúnia, si tuæ sint plácita pietati. Per Dóminum nostrum.

Aliæ Orationes, vt in Domini-ca præcedenti. fol. 120.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

**H**Æc dicit Dóminus: In témpore plácito exaudíui te, &

in die salútis auxiliátus sum tui: & seruáui te, & dedi te in foedus pòpuli, vt suscitáres terram, & possidéres hereditátes dissipátas: vt díceres his qui vinclati sunt: Exí-te: & his qui in ténebris: Reuelá-mini. Super vias pascéntur, & in ómnibus planis páscua eòrum. Non esúrient, neque sitiént, & non percútiet eos æstus & sol: quia miserátor eòrum reget eos, & ad fontes aquârum potâbit eos. Et ponam omnes montes meos in viam, & sémitæ meæ exaltabúntur. Ecce isti de longè vé-nient, & ecce illi ab Aquilône & mari, & isti de terra Austráli. Lau-dáte cæli, & exulta terra, iubiláte montes laudem: quia consolátus est Dóminus pòpulum suum, & páuperum suòrum miserébitur. Et dixit Sion: Derelíquit me Dómi-nus, & Dóminus oblítus est mei. Numquid obliuisci potest mûlier infantem suum, vt non misereá-tur filio úteri sui? Et si illa ob-lita fúerit, ego tamen non obli-uiscar tui, dicit Dóminus omni-potens.

Graduale. Tibi Dómine derelíctus est pauper: pupillo tu eris adiú-tor. **y.** Vt quid Dómine recessisti lon-gè, despicias in opportunitáibus, in tribulatiōne? dum superbit ímpius, incénditur pauper.

Sequéntia sancti Euangélij secúndùm Ioánnem.

**I**N illo témpore: Locútus est Iesus turbis Iudæòrum, dicens: Ego sum lux mundi: qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit

habebit lumen vitæ. Dixérunt ergo ei Pharisæi: Tu de te ipso testimónium pérhibes: testimónium tuum non est verū. Respóndit Iesus, & dixit eis: Et si ego testimónium perhíbeo de me ipso, verum est testimónium meum: quia scio vnde veni, & quò vado: vos autem nescítis vnde vénio, aut quò vado. Vos secúndùm carnem iudi cátis: ego non iúdico quemquam: & si iúdico ego, iudícium meum verum est, quia solus non sum: sed ego, & qui misit me, Pater. Et in lege vestra scriptum est, quia duòrum hóminum testimónium verum est. Ego sum, qui testimónium perhíbeo de méipso: & testimónium pérhibet de me, qui misit me, Pater. Dicébant ergo ei: Vbi est Pater tuus? Respóndit Iesus: Neque me scitis, neque Patrem meum: si me sciréritis, forsitan & Patrem meum sciréritis. Hæc verba locútus est Iesus in gazo phylacio, docens in templo, & nemo apprehéndit eum, quia necdum vénérat hora eius.

Offertorium. Factus est Dóminus firmaméntum meum, & refúgium meum, & liberátor meus: & sperábo in eum. Secreta.

**O** Blatióribus nostris, quæsumus Dómine, placare suscéptis: & ad te nostras étiam rebélles compélle propítius voluntátes. Per Dóminum nostrum.

Aliæ Secretæ, vt in Dominica præcedenti. fol. 122.

Communio. Dóminus regit me, & nihil mihi déerit: in loco páscuæ ibi

me collocáuit: super aquam refectionis educáuit me. Postcommunio.

**T** Va nos, quæsumus Dómine, sancta puríficent: & operatione sua tibi plácitos esse perficiant. Per Dóminum nostrum.

Aliæ Postcommuniones, vt in Dominica præcedenti. fol. 122.

Super populum. O rémus.

Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio.

**D** Eus, qui sperántibus in te miseréri pótius éligis, quám irásci: da nobis dignè flere mala quæ fecimus; vt tuæ consolatiōnis grātiā inuenire mereāmur. Per Dóminum nostrum.

Ante Vesperas cooperiuntur Cruces & Imagines.

Ab hac die vsque ad Sabbathum sanctum exclusiè non dicitur Psalm. I údica me, ante Confessiōnem: neque G lória Patri, ad L auâbo.

## DOMINICA

de Passione.

Statio ad S. Petrum. Introitus.

Vdica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta: ab hómine iníquo & doloso éripe me, quia tu es Deus meus, & fortitudo mea. Psalm. E mitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me deduxérunt, & adduxérunt in móntem sanctum tuum, & in tabernácula tua. I údica.

Non dicitur, G lória Patri, ad Introitum vsque ad Pascha, nisi in Missa de Festo, si occurrerit: sed finito Psalmo, absolutè repetitur Introitus vsque ad Psalmum.



## Oratio.

**Q**uæsumus omnípotens Deus, famíliam tuam propítius réspice: vt te largiente, regáatur in corpore; & te seruante, custodiatur in mente. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

Ab hac die vsque ad Feriam v. in Cœna Dómini, post Orationem diei dicitur, vel contra persecutores Ecclesiæ.

## Oratio.

**E**cclésiæ tuæ, quæsumus Dómine, preces placatus admítte: vt destructis aduersitatibus & erróribus vniuérsis, secúra tibi seruiat libertatē. Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum: Qui tecum viuit & regnat.

Vel pro Papa.      Oratio.

**D**eus ómnium fidélium pастor & rector, famulum tuum N. quem pastorem Ecclésiæ tuæ præesse voluisti, propítius respice: da ei, quæsumus, verbo & exemplo, quibus præst, proficerre; vt ad vitam, vnâ cum grege sibi crédito, perueniat sempiternam. Per Dóminum nostrum.

Non dicitur tertia Oratio.  
Léctio Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Hebræos.

**F**ratres: Christus assístens Pónitifex futurorum bonorum, per amplius & perféctius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis; neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per próprium sanguinem introiuit semel in Sancta, æterna redemptiōne inuenta. Si enim san-

guis hircorum & taurorum, & ciniis vitulæ aspersus, inquinátos sanctificat ad emundatiōnem carnis: quantò magis sanguis Christi, qui per Spíritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab opéribus mórtuis, ad seruiéndum Deo viuénti? & ídeò noui Testaménti mediátor est: vt morte intercedente, in redemptiōne eárum præuaricatiōnum, quæ erant sub priori testaménto, repromissiōnem accípiant qui vocati. sunt æternæ hereditatis: in Christo Iesu Dómino nostro.

**G**raduale. Eripe me Dómine de inimícis meis: doce me facere voluntatēm tuam. **Y.** Liberátor meus Dómine de gentibus iracundis: ab insurgéntibus in me exaltabis me: à viro iniquo erípies me.

**T**ractus. Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea. **Y.** Dicat nunc Israël. Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea. **Y.** Etenim non potuerunt mihi supra dorsum meum fabricauerunt peccatores. **Y.** Prolongauerunt iniquitates suas: Dóminus iustus concidet ceruices peccatorum.

Sequéntia sancti Euangélij secundum Ioánnem.

**I**n illo tempore: Dicébat Iesus turbis Iudæorum: Quis ex vobis árguet me de peccato? Si veritatēm dico vobis, quare non créditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Respondérunt ergo Iudæi, & di-

xerunt ei: Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respóndit Iesus: Ego dæmonium non hábeo: sed honorífico Patrem meum, & vos inhonorástis me. Ego autem non quæro gloriām meām: est qui quærat, & iudicet. Amen, amen dico vobis: si quis sermōnem meūm seruáuerit, mortem non vidēbit in ætérnum. Dixérunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus quia dæmonium habes. Abraham mórtuus est, & Prophétæ: & tu dicas: Si quis sermōnem meūm seruáuerit, non gustabít mortem in ætérnum. Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mórtuus est? & Prophétæ mórtui sunt. Quem teípsum facis? Respóndit Iesus: Si ego glorifico me ipsum, gloriā mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, & non cognouístis eum: ego autem noui eum: Et si díxero quia non scio eum, ero símilis vobis, mendax. Sed scio eum, & sermōnem eius seruo. Abraham pater vester exultauit vt vidéret diem meūm: vidit, & gauissus est. Dixérunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Dixit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Tulérunt ergo lápides, vt iácerent in eum: Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo. Credo.

Offertorium. Confitébor tibi Dómine in toto corde meo: retríbue ser-

uo tuo, viuam, & custódiam sermónes tuos: viuifica me secundūm verbum tuum Dómine. Secreta.

**H**æc múnera, quæsumus Dómine, & víncula nostræ prauitatis absoluant, & tuæ nobis misericordiæ dona concilient. Per Dóminum nostrum.

Altera Secreta, vel contra persecutores Ecclesiæ.

**P**rótege nos, Dómine, tuis mysteriis seruiéntes: vt diuínis rebus inhæréntes, & corpore tibi famulémur, & mente. Per Dóminum nostrum.

Vel pro Papa.

**O**blatis, quæsumus Dómine, placare munéribus: & famulum tuum N. quem pastorem Ecclésiæ tuæ præésser voluistis, assídua protectione guberna. Per Dóminum nostrum.

Præfatio de Cruce, quæ dicitur quotidie usque ad Feriam v. in Cœna Domini, etiam in Missa de Festo, nisi propriam habuerit.

Communio. Hoc corpus, quod pro vobis tradetur: hic calix noui Testaménti est in meo sanguine, dicit Dóminus: hoc facite, quotiescumque sumitis in meam commemorationem.

Postcommunio.

**A**déstis nobis Dómine Deus noster: & quos tuis mysteriis recreásti, perpétuis défende subsidiis. Per Dóminum.

Altera Postcommunio, vel contra persecutores Ecclesiæ.

**Q**væsumus Dómine Deus noster: vt quos diuina tribus participatiōne gaudere, hu-

mánis non sinas subiacére periculis. Per Dóminum nostrum.

Vel pro Papa.

**H**æc nos, quæsumus Dómine, diuini sacraménti percéptio protégat: & famulum tuum N. quem pastòrem Ecclésiæ tuæ præfesse voluísti, vnà cum commissio sibi grege, saluet semper & muniat. Per Dóminum.

## FERIA SECUND A.

Statio ad S. Chrysogonum.

Introitus.

**M**iserere mihi Dómine, quóniam conculcáuit me homo: tota die bellans tribuláuit me. Psalm. Conculcaérunt me inimíci mei tota die: quóniam multi bellantes aduérsum me. M miserere mihi. **O**ratio.

**S**anctifica, quæsumus Dómine, nostra ieünia: & cunctarum nobis indulgentiam propitius largíre culpárum. Per Dñm. Postea Oratio. Ecclesiæ. vel Deus ómnium. vt suprà in Dominica Passionis. fol. 136.

**L**ectio Ionæ Prophétæ. **I**n diébus illis: Factum est verbum Dómini ad Ionam Prophétam secundò, dicens: Surge, & vade in Níniuen ciuitatem magnam: & prædica in ea prædicatiōnem, quam ego loquor ad te. Et surrexit Ionas, & abiit in Níniuen iuxta verbum Dómini. Et Níniue erat ciuitas magna itinere trium diérum. Et cœpit Ionas introire in ciuitatem itinere diei vnius: & clamáuit, & dixit: Ad-

huc quadraginta dies, & Níniue subuertetur. Et credidérunt viri Níniuítæ in Deum: & prædicauérunt ieünium, & vestiti sunt faccis à maiore vsque ad minorem. Et peruénit verbum ad Regem Níniue: & surrexit de solio suo, & abiécit vestiméntum suum à se, & indutus est sacco, & sedet in cíncere. Et clamáuit, & dixit in Níniue ex ore Regis, & príncipum eius, dicens: Hómines, & iumenta, & boues, & pécora non gustent quidquam: nec pascántur, & aquam non bibant. Et operiántur faccis hómines, & iumenta, & clament ad Dóminum in fortitudine, & conuertátur vir à via sua mala, & ab iniuitate, quæ est in mánibus eorum. Quis scit si conuertátur & ignoscat Deus: & reuertátur à furore iræ suæ, & non peribimus? Et vidit Deus opera eorum, quia conuerti sunt de via sua mala: & misertus est populo suo Dóminus Deus noster.

**G**raduale. Deus exaudi oratiōnem meam: auribus percipe verba oris mei. **y.** Deus in nomine tuo saluum me fac: & in virtute tua libera me.

**T**ractus. Dómine, non secundum peccata nostra, quæ fecimus nos, neque secundum iniuitates nostras retribus nobis. **y.** Dómine, ne memineris iniuitatum nostrarum antiquarum: citò anticipent nos misericordiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. **y.** Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriā nōminis tui Dómine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

S equén-

p. sal.

53.

p. sal.

102.

p. sal.

78.

Hic  
gen-  
der-  
dictio-  
nari-

ut.

**S**equentia sancti Euangélij secundum Ioánnem.

**I**n illo tempore: Misérunt principes & Pharisæi ministros, ut apprehéderent Iesum. Dixit ergo eis Iesus: Adhuc módicum tempus vobiscum sum: & vado ad eum, qui me misit. Quærétis me, & non inueniētis: & ubi ego sum, vos non potéstis venire. Dixerunt ergo Iudæi ad semetípsos: Quò hic iturus est, quia non inueniēmus eum? numquid in dispersionem Géntium iturus est, & docturus Gentes? quis est hic sermo quem dixit: Quærétis me, & non inueniētis: & ubi sum ego, vos non potéstis venire? In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat, dicens: Si quis sit, véniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flúmina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spíritu, quem accepturi erant credentes in eum.

Offertorium Dómine conuértere, & eripe ánimam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.

### Secreta.

**C**oncède nobis, Dómine Deus noster: ut hæc hóstia salutatis, & nostrorum fiat purgatio delictorum, & tuæ propitiatio maiestatis. Per Dóminum.

Altera Secreta, vel Protege. vel Oblatis. fol. 137.

Communio. Dóminus virtutum ipse est Rex gloriæ. Postcommunio.

**S**Acraménti tui, quæsumus Dómine, participatio salutaris &

purificationem nobis tribuat, & medelam. Per Dóminum.

Altera Postcommunio, vel Quæsumus Dómine. vel Hæc nos, quæsumus. fol. 137.

Super populum. O rémus. Humiliatae capita vestra Deo. Oratio.

**D**a, quæsumus Dómine, populo tuo salitem mentis & corporis: ut bonis opéribus inhæréndo, tua semper mereatur protectione defendi. Per Dóminum.

## FERIA TERTIA.

Statio ad Sanctum Cyriacum.

### Introitus.

 Xpécta Dóminum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dóminum. Psalm. Dóminus illuminatio mea, & salus mea: quem timabo? Expecta Dóminum.

### Oratio.

**N**ostra tibi, Dómine quæsumus, fint accépta ieíunia: quæ nos & expiando, grátia tua dignos efficiant; & ad remédia perdúcant æterna. Per Dñm.

Altera Oratio, vel Ecclesiæ tuae. vel Deus omnium fidélium. fol. 136.

Léctio Daniëlis Prophétæ.

**I**n diébus illis: Congregati sunt Babylonij ad regem, & dixerunt ei: Trade nobis Daniëlem, qui Bel destruxit, & draconem interfecit, alioquin interficiemus te, & domum tuam. Vedit ergo rex quod irruerent in eum vehementer: & necessitate compulsus trádidit eis Daniëlem. Qui misérunt eum in lacum leónum,

& erat ibi diēbus sex. Porrò in lacu erant leōnes septem, & dabantur eis duo cōpora quotīdie, & duæ oues: & tunc non data sunt eis, vt deuorārent Daniēlem. Erat autem Hābacuc Prophēta in Iudæa, & ipse cōixerat pulmēn-tum, & intrūerat panes in aluēlo: & ibat in campum vt ferret messōribus. Dixitque Angelus Dōmini ad Hābacuc: Fer prāndium, quod habes, in Babylōnem Daniēli, qui est in lacu leōnum. Et dixit Hābacuc: Dōmine, Babylōnem non vidi, & lacum nēscio. Et apprehēdit eum Angelus Dōmini in vērtice eius, & portāuit eum capillo cāpitis sui, posuitque eum in Babylōne supra lacum in īmpetu sp̄iritus sui. Et clamāuit Hābacuc, dicens: Dāniel serue Dei, tolle prāndium, quod misit tibi Deus. Et ait Dāniel: Recordātus es mei Deus, & non dereliquisti diligētes te. Surgensque Dāniel comēdit. Porrò Angelus Dōmini restituit Hābacuc confestim in loco suo. Venit ergo rex die sēptimo, vt lugēret Daniēlem: & venit ad lacum, & introspēxit, & ecce Dāniel sedens in mēdio leōnum. Et exclamāuit voce magna rex, dicens: Magnus es Dōmine Deus Daniēlis. Et extraxit eum de lacu leōnum. Porrò illos, qui perditionis eius causa fuerant, intromisit in lacum, & deuorati sunt in momēto coram eo. Tunc rex ait: Páueant ómnes habitantes in vniuersa terra Deum Daniēlis: quia ipse est

Saluātor, fāciens signa & mirabília in terra: qui liberāuit Daniēlem de lacu leōnum.

**Graduale.** D ifscrēne causam meam  
Dōmine: ab hōmine iniquo & doloso  
ēripe me. **V.** Emitte lucem tuam,  
& veritātem tuam: ipsa me deduxērunt,  
& adduxérunt in montem sanctum tuum.

S equēntia sancti Euangēlij  
secundūm Ioānnem.

**I**n illo rētempore: Ambulābat Iesu in Galilēam; non enim volēbat in Iudæam ambulāre, quia quærēbant eum Iudæi interficere. Erat autem in próximo dies festus Iudæōrum, Scenopégia. Dixérunt autem ad eum frātres eius: Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant ópera tua, quæ facis. Nemo quippe in occūlto quid facit, & quærerit ipse in palām esse: si hæc facis, manifesta te ipsum mundo. Neque enim fratres eius credēbant in eum. Dicit ergo eis Iesu: Tempus meum nondum aduēnit: tempus autem vestrum semper est parātum. Non potest mundus odīſſe vos: me autem odit: quia ego testimoniūm perhībeo de illo quōd ópera eius mala sunt. Vos ascēdite ad diem festum hunc: ego autem non ascēndo ad diem festum istum: quia meum tempus nondum implētum est. Hæc cūm dixis-  
set, ipse mansit in Galilēa. Vt autem ascendērunt fratres eius, tunc & ipse ascēdit ad diem festum non manifestē, sed quasi

in occulto Iudæi ergo quærabant eum in die festo, & dicébant: Vbi est ille? Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicébant: Quia bonus est. Alij autem dicébant: Non, sed seducit turbas. Nemo tamen palam loquebatur de illo, propter metum Iudeorum.

Oftertorium. S perent in te omnes, qui nouérunt nomen tuum Dómine: quóniam non derelínquis quæréntes te: psálite Dómino, qui hábitat in Sion: quóniam non est oblítus orationes páuperum.

## Secreta.

**H**ostias tibi, Dómine, defériimus immolandas, quæ temporalem consolatiōnem signícent: vt promissa non desperēmus æterna. Per Dóminum.

Altera Secreta, vel Prótege nos, vel O blátis, quæsumus. fol. 137.

Communio. R édime me, Deus Israël, ex ómnibus angustiis meis.

## Postcommunio.

**D**a quæsumus omnípotens Deus: vt, quæ diuīna sunt, iugiter exequéntes, donis mereāmur cælestibus propinquâre. Per Dóminum nostrum.

Altera Postcommunio, vel Quæsumus Dómine, vel Hæc nos, quæsumus. fol. 137.

Super populum. Orémus. Humiliâte capita vestra Deo. Oratio.

**D**a nobis, quæsumus Dómine, perseverántem in tua voluntate famulátum: vt in diébus nostris, & mérito & número, pòpulus tibi seruiens augeátur. Per Dóminum nostrum.

## FERIA QVARTA.

Statio ad S. Marcellum.

## Introitus.



Iberátor meus de géntibus iracundis: ab insurgéntibus in me exaltâbis me: à viro iníquo erípies me Dómine. Psalmus. D iligam te Dómine virtus mea: Dóminus firmamentum meum, & refúgium meum, & liberátor meus. L iberátor. Oratio.

**S**anctificáto hoc ieíunio, Deus, tuòrum corda fidélium miserátor illústra: & quibus deuotio- nis prætas afféctum, præbe sup- plicántibus piúm benignus audí- tum. Per Dóminum nostrum.

Altera Oratio, vel E cclesiæ tuæ. vel Deus ómnium fidélium. fol. 136.

## L éctio libri Leuitici.

**L**ndiébus illis: Locútus est Dó- minus ad Móysen, dicens: Ló- quere ad omnem cœtum filiorum Israël, & dices ad eos: Ego Dóminus Deus vester. Non faciétis furtum. Non mentiémini, nec decípiet vnuſquísque próxi- mum suum. Non periurâbis in nōmine meo, nec pólues nomen Dei tui. Ego Dóminus. Non facies calúmniām próximo tuo: nec vi ópprimes eum. Non morábi- tur opus mercenárij tui apud te vñque manè. Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum: sed timébis Dóminum Deum tuum, quia ego sum Dómi- nus. Non facies quod iníquum est, nec iniústè iudicâbis. Non consíderes persônam páuperis, nec honóres vultum poténtis.

iustè iúdica próximo tuo. Non eris criminâtor, nec susúrro in pôpulo. Non stabis contra sanguinem próximi tui. Ego Dóminus. Non óderis fratrem tuum in corde tuo, sed pùblicè árgue eum, ne hábeas super illo peccátum. Non quæras vltiònem, nec memor eris iniuriæ clivium tuòrum. Díliges amicum tuum sicut teípsum. Ego Dóminus. Leges meas custodíte. Ego enim sum Dóminus Deus vester.

<sup>129</sup> Graduale. Exaltabo te Dómine quóniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me. *y.* Dómine Deus meus clamáui ad te, & sanásti me: Dómine, abstraxisti ab inferis animam meam, saluásti me à descendéntibus in lacum.

<sup>al.</sup> Tractus. Dómine, non secundùm peccata nostra, quæ fecimus nos, neque secundùm iniquitátes nostras retríbuas nobis. *y.* Dómine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: cito antícipent nos misericórdie tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. *y.* \* Adiuua nos Deus salutáris noster: & propter glóriam nóminalis tui Dómine líbera nos, & propítius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

<sup>al.</sup> Sequentia sancti Euangélii secundùm Ioánnem.

<sup>oan.</sup> **I**N illo témpore: Facta sunt Encænia in Ierosolymis: & hiems erat. Et ambulabat Iesus in templo, in pórticu Salomônis. Circumdedérunt ergo eum Iudæi, & dicébant ei: Quoúsque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palàm. Re-

spóndit eis Iesus: Loquor vobis, & non créditis. Opera, quæ ego facio in nómine Patris mei, hæc testimónium pérhibent de me. Sed vos non créditis; quia non estis ex óibus meis. Oues meæ vocem meam áudiunt: & ego cognósco eas, & sequúntur me: & ego vitam ætérnam do eis: & non peribunt in ætérnum, & non rápiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, maius ómnibus est: & nemo potest rápere de manu Patris mei. Ego & Pater vnum sumus. Sustulérunt ergo lìpides Iudæi, vt lapi-darent eum. Respóndit eis Iesus: Multa bona ópera osténdi vobis ex Patre meo, propter quod eòrum opus me lapidatis? Respon-dérunt ei Iudæi: De bono ópere non lapidamus te, sed de blasphé-mia: & quia tu, homo cùm sis, facis teípsum Deum. Respóndit eis Iesus: Nónne scriptum est in lege vestra: quia Ego dixi, dij estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura: quem Pater san-tificauit, & misit in mundum, vos dícitis: Quia blasphémás: quia dixi, Fílius Dei sum? Si non facio ópera Patris mei, nolite crédere mihi. Si autem facio: & si mihi non vultis crédere, opéribus créde, vt cognoscatis, & credáti quia Pater in me est, & ego in Patre.

<sup>eſſal.</sup> Offertorium. Eripe me de inimí-cis meis Deus meus: & ab insurgen-tibus in me líbera me Dómine.

**A**nnue misericors Deus: vt hóstias placatiōnis & laudis sincero tibi deferāmus obséquio. Per Dominum nostrum.

Altera Secreta, vel Protege nos. vel O blátis. fol. 137.

Communio. Laudabo inter innocentēs manus meas, & circuībo altāre tuum Domine: vt audiam vocem laudis tuæ, & enárem vniuersa mirabília tua.

## Postcommunio.

**C**ælestis doni benedictiōne percépta, supplices te Deus omnípotens deprecāmur: vt hoc idem nobis & sacramenti causa sit & salutis. Per Dóminum.

Altera Postcommunio, vel Quæsumus Dómine. vel Hæc nos quæsumus. fol. 137.

Super populum. O rēmus. Humiliâte capita vestra Deo. Oratio.

**A**d hunc supplicationibus nostris omnipotens Deus: & quibus fiduciam sperāndæ pietatis indulges, consuētæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per Dóminum nostrum.

**P**ræsta quæsumus omnípotens Deus: vt dignitas conditiōnis humanae per immoderantiam sauciata, medicinális parsimoniæ studio reformétur. Per Dóminum nostrum.

Altera Oratio, vel Ecclesiæ tuæ. vel Deus omnium fidélium. fol. 136.

## Læctio Daniëlis Prophétæ.

**I**n diébus illis: Oráuit Azarias Dóminum, dicens: Dómine Deus noster: ne, quæsumus, tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne disipes testaméntum tuum: neque auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israël sanctum tuum: quibus locutus es, pollicens quod multiplicares semen eorum sicut stellas cœli, & sicut arénam quæ est in littore maris: quia Dómine imminuti sumus plus quam omnes gentes, sumusque humiles in vniuersa terra hodie propter peccata nostra. Et non est in tempore hoc princeps, & dux, & Propheta, neque holocauſtum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, vt possimus inuenire misericordiam tuam: sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur. Sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in milibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi: quoniam non est confusio confidentibus

FERIA QUINTA.  
Statio ad S. Apollinarem.

## Introitus.

 Minia, quæ fecisti nobis Dómine, in vero iudicio fecisti: quia peccauimus tibi, & mandatis tuis non obediuimus: sed da gloriā nōmini tuo, & fac nobiscum secundum multitudinem misericordiæ tuæ. Psal. Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini. O minia, quæ fecisti.

in te. Et nunc sequimur te in toto corde, & timemus te, & querimus faciem tuam. Ne confundas nos: sed fac nobiscum iuxta mansuetudinem tuam, & secundum multitudinem misericordiae tuae. Et erue nos in mirabilibus tuis: & da gloriam nominis tuo Domine: & confundantur omnes, qui ostendunt seruis tuis mala, confundantur in omnipotentia tua, & robur eorum conteratur: & sciant quia tu es Dominus Deus solus, & gloriatus super orbem terrarum, Domine Deus noster.

Graduale. Tollite hostias, & introite in atria eius: adorate Dominum in aula sancta eius. Ps. Reuelabit Dominus condensa: & in templo eius omnes dicent gloriam.

Sequentia sancti Euangelii secundum Lucam.

In illo tempore: Rogabat Iesum quidam de Pharisaeis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisaei, discubuit. Et ecce mulier, quae erat in ciuitate peccatrix, ut cognovit quod accubisset in domo Pharisaei, attulit alabasterum vnguentum: & stans retro secus pedes eius, lacrymis coepit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Videns autem Iesus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Prophetus, sciret utique, quae & qualis est mulier, quae tangit eum: quia peccatrix est. Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere.

At ille ait: Magister, dic. Duo debitores erant cumdam coenerari: unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donauit utrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon, dixit: Aestimo quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Recete iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: haec autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: haec autem, ex quo intravit, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxisti: haec autem vnguento vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. Etcoperunt, qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimitti? Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit: vade in pace.

Offertorium. Super flumina Babylonis illic sedimus, & fluimus, dum recordaremur tui Sion. Secreta.

Domine Deus noster, qui in his potius creaturis, quas ad fragilitatis nostrae subsidium condidisti, tuo quoque nomine munera iussisti dicanda constitui: tribue quassumus; ut & vires nobis praesentis auxilium, &

Psal.  
118.

æternitatis efficiant sacramen-  
tum. Per Dóminum.

Altera Secreta, vel Prótege. vel  
Oblatis, quæsumus. fol. 137.

Communio. Memento verbi tui  
seruo tuo Dómine, in quo mihi spem  
dedisti: hæc me consolata est in humi-  
litate mea.

Postcommunio.

**Q**uod ore sūmpsimus Dómi-  
ne, pura mente capiamus: &  
de múnere temporali, fiat nobis  
remedium sempiternum. Per Dó-  
minum nostrum.

Altera Postcommunio, vel Quæ-  
sumus Dómine. vel Hæc nos, quæsumus.  
fol. 137.

Super populum. O rēmus.  
Humiliatè capita vestra Deo. Oratio.  
**E**sto, quæsumus Dómine, pro-  
pitiatus plebi tuæ: vt, quæ tibi  
non placent, respuentes, tuorum  
pótius repleantur delectationibus  
mandatorum. Per Dóminum.

FERIA SEXTA.  
Statio ad sanctum Stephanum in  
Cælio monte. Introitus.

**M**iserere mihi Dómine, quóniam  
tríbulator: líbera me,  
& éripe me de mánibus  
inimicorum meorum, &  
à persequéntibus me: Dómine non con-  
fundar, quóniam inuocáui te. Psal. In  
te Dómine speráui, non confundar in  
æternum: in iustitia tua líbera me.  
Miserere mihi. Oratio.

**C**ordibus nostris, quæsumus  
Dómine, grátiam tuam be-  
nignus infunde: vt peccata nostra  
castigatione voluntaria cohibé-  
nes.

tes, temporáliter pótius maceré-  
mur, quám supplicijs deputémur  
æternis. Per Dóminum nostrum.

Altera Oratio, vel Ecclesiæ tuæ.  
vel Deus ómnium fidélium. fol. 136.

Léctio Ieremias Prophétæ.  
**I**n diébus illis: Dixit Ieremias:  
Dómine, omnes qui te dere-  
linquunt, confundentur: recedéntes  
à te, in terra scribentur: quóniam  
dereliquerunt venam aquarum  
viuentium Dóminum. Sana  
me Dómine, & sanabor: saluum  
me fac, & saluus ero: quóniam  
laus mea tu es. Ecce ipsi dicunt  
ad me: Vbi est verbum Dómini?  
Véniat. Et ego non sum turbatus,  
te pastorem sequens: & diem  
hominis non desideráui, tu scis.  
Quod egréssum est de lábiis meis,  
rectum in conspéctu tuo fuit. Non  
sis tu mihi formídini, spes mea tu  
in die afflictionis. Confundántur  
qui me persequuntur, & non con-  
fundar ego: páueant illi, & non  
páueam ego: induc super eos diem  
afflictionis, & díuplici contri-  
tiōne cōtere eos, Dómine Deus  
noster.

Graduale. Pacíficè loquebántur  
mihi inimici mei: & in ira moléstia  
erant mihi. ¶ Vidísti Dómine, ne  
sileas: ne discédas à me.

Tractus. Dómine, non secundum  
peccata nostra, quæ fecimus nos, neque  
secundum iniquitates nostras retribuas  
nobis. ¶ Dñe, ne memineris iniqui-  
tatum nostrarum antiquarum: citò  
anticipent nos misericordia tuæ, quia  
páuperes facti sumus nimis. ¶ \* Adiu  
anos Deus salutaris noster: & pro-

pter glóriam nóminis tui Dómine lí-  
bera nos: & propítius esto peccátis no-  
stris propter nomen tuum.

Sequéntia sancti Euangélij  
secúndùm Ioánnem.

**I**N illo témpore: Collegérunt  
Pontífices & Pharisæi concí-  
lum aduérsus Iesum, & dicébant:  
Quid facimus, quia hic homo  
multa signa facit? Si dimíttimus  
eum sic, omnes credent in eum:  
& vénient Románi, & tollent no-  
strum locum, & gentem. Vnus  
autem ex ipsis Cáiphas nómine,  
cùm esset Póntifex anni illius, di-  
xit eis: Vos nescítis quidquam,  
nec cogitáatis quia expedit vobis  
vt vñus moriáatur homo pro pôpu-  
lo, & non tota gens péreat. Hoc  
autem à semetípsò non dixit: sed  
cùm esset Póntifex anni illius,  
prophetáuit, quòd Iesus moritû-  
rus erat pro gente, & non tantùm  
pro gente, sed vt filios Dei, qui  
erant dispérsi, congregáret in v-  
num. Ab illo ergo die cogitaué-  
runt vt interficerent eum. Iesus  
ergo iam non in palàm ambulá-  
bat apud Iudæos, sed ábiit in re-  
giómem iuxta desértum, in ciuitá-  
tem quæ dicitur Ephrem, & ibi  
morabátur cum discípulis suis.

Offertorium. Benedíctus es Dó-  
mine, doce me iustificáções tuas: &  
non tradas calumniántibus me supér-  
bis: & respondébo exprobrántibus  
mihi verbum.

Secreta.

**P**Ræsta nobis misericors Deus:  
vt dignè tuis seruîre semper  
altáribus mereâmur; & eórum

perpéta participatióne saluári.  
Per Dóminum nostrum.

Altera Secreta, vel Prótege. vel  
Oblátis, quæsumus. fol. 137.

Communio. Ne tradíderis me  
Dómine in ánimas persequéntium me:  
quóniam insurrexérunt in me testes  
iníqui, & mentita est iniquitas sibi.

Postcommunio.

**S**Vmpti sacrificij, Dómine, per-  
pétua nos tuítio non derelín-  
quat: & nóxia semper à nobis  
cuncta depéllat. Per Dóminum.

• Altera Postcommunio, vel Quæ-  
sumus Dómine. vel Hæc nos, quæsu-  
mus. fol. 137.

Super populum. O rēmus.

Humiliáte cápita vestra Deo. Oratio.

**C**oncède quæsumus omnípo-  
tens Deus: vt qui protectiō-  
nis tuæ grátiam quærimus, liberáti  
à malis omnibus, secúra tibi men-  
te seruiámus. Per Dóminum.

S A B B A T O.  
Statio ad S. Ioannem ante portam  
Latinam. Introitus,

 Iferere mihi Dómine, quó-  
niam tribulor: libera me,  
& éripe me de mánibus  
inimicórum meórum, & à  
persequéntibus me: Dómine non con-  
fundar, quóniam inuocáui te. Psal. In  
te Dómine speráui, non confundar in  
æternum: in iustitia tua libera me.  
Miserere mihi.

Oratio.  
**P**Roficiat, quæsumus Dómi-  
ne, plebs tibi dicáta piæ de-  
uotíonis afféctu: vt sacris acti-  
níbus eruditâ, quanto maiestáti

tuæ

*terem  
12.6*  
tuæ fit grætior , tantò donis potiō-  
ribus augeātur. Per Dóminum.

Altera Secreta , vel E cclesiæ tuæ.  
vel D eus ómnium fidélium. fol. 136.

### L éctio Ieremíæ Prophétae.

**N** diébus illis : Dixérunt ímpij  
Iudæi ad ínuicem : Venite , &  
cogitémus contra iustum cogita-  
tiones : non enim peribit lex à  
sacerdôte , neque consilium à sa-  
piénte , nec sermo à Prophéta : ve-  
nite , & percutiámus eum lingua ,  
& non attendámus ad vniuersos  
sermónes eius. Atténde Dómine  
ad me , & audi vocem aduersariò-  
rum meórum. Numquid réddi-  
tur pro bono malum , quia fodé-  
runt foueam animæ meæ? Recor-  
dare quòd stéterim in conspéctu  
tuo , vt loquerer pro eis bonum , &  
auérterem indignatiònem tuam  
ab eis. Proptéra da filios eórum  
in famem , & deduc eos in manus  
gládij: fiant vxóres eórum absque  
liberis , & víduæ: & viri eârum in-  
terficiántur morte : iúuenes eô-  
rum confodiántur gládio in præ-  
lio. Audiátur clamor de dómibus  
eórum : addúces enim super eos  
latrônem repéntè : quia fodérunt  
foueam vt cáperent me , & lá-  
queos abscondérunt pédibus meis.  
Tu autem Dómine scis omne  
consilium eórum aduérsum me  
in mortem : ne propitiéris iniqui-  
tati eórum , & peccátum eórum à  
facie tua non deleátur : fiant cor-  
ruéntes in conspéctu tuo , in tém-  
pore furoris tui abútere eis , Dó-  
mine Deus noster.

Graduale. P acificè loquebántur

mihi inimíci mei: & in ira molésti erant  
mihi. **V**. Vidísti Dómine , ne síleas:  
ne discédas à me.

### S equíentia sancti Euangélij secundùm Ioánnem.

**I**n illo témporte : Cogitauérunt  
príncipes sacerdótum , vt & Lá-  
zarum interficerent: quia multi  
propter illum abíbant ex Iudæis ,  
& credébant in Iesum. In crásti-  
num autem turba multa , quæ vé-  
nerat ad diem festum , cum au-  
díssent quia venit Iesus Ierosóly-  
mam: accepérunt ramos palmá-  
rum , & processérunt óbuiàm ei ,  
& clamábant: Hosanna , benedi-  
ctus , qui venit in nōmine Dómi-  
ni , Rex Israël. Et inuénit Iesus  
aséllum , & sedít super eum , sicut  
scriptum est: Noli timere filia  
Sion : ecce Rex tuus venit sedens  
super pullum ásinæ. Hæc non  
cognouérunt discípuli eius pri-  
mum: sed quando glorificátus est  
Iesus , tunc recordáti sunt , quia  
hæc erant scripta de eo , & hæc fe-  
cérent ei. Testimónium ergo per-  
hibébat turba , quæ erat cum eo  
quando Lázarum vocáuit de mo-  
numénto , & suscitáuiteum à mór-  
tuis. Proptéra & óbuiàm venit  
ei turba : quia audiérunt eum fe-  
cisse hoc signum. Pharisæi ergo  
dixérunt ad semetípos: Vidé-  
tis quia nihil proficimus ? Ecce  
mundus totus post eum ábiit.  
Erant autem quidam Gentiles ,  
ex his qui ascénderant vt adorá-  
rent in die festo. Hi ergo acces-  
férunt ad Philíppum , qui erat à  
Bethsáida Galilææ , & rogabant

eum, dicentes: Dómine, vólimus Iesum videre. Venit Philíppus, & dicit Andréæ: Andréas rursum & Philíppus dixerunt Iesu. Iesus autem respóndit eis, dicens: Venit hora, vt clarificetur Fílius hóminis. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mórtuum fúerit; ipsum solum manet. Si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: & qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam æternam custódit eam. Si quis mihi ministrat, me sequátur: & ubi sum ego, illuc & minister meus erit. Si quis mihi ministráuerit, honorificábit eum Pater meus. Nunc ánima mea turbáta est. Et quid dicam? Pater, saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horá hanc. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo: Et clarificáui, & iterum clarificábo. Turba ergo, quæ stabat, & audierat, dicébat tonitruum esse factum. Alij dicébant: Angelus ei locútus est. Respóndit Iesus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego si exaltatus fúero à terra, ómnia traham ad meípsum: (hoc autem dicébat, significans qua morte esset moriturus.) Respóndit ei turba: Nos audiimus ex lege, quia Christus manet in æternum: & quómodo tu dicas, Opóret exaltari Fílium hóminis? Quis est iste Fílius hó-

minis? Dixit ergo eis Iesus: Adhuc módicum lumen in vobis est. Ambuláte dum lucem habétis, vt non vos ténebræ comprehéndant: & qui ámbulat in ténebris, nescit quò vadat. Dum lucem habétis, crèdite in lucem, vt filij lucis sitis. Hæc locútus est Iesus: & abiit, & abscondit se ab eis.

Offertorium. Benedíctus es Dómine, doce me iustificationes tuas: & non tradas calumniántibus me supérbis: & respondébo exprobrántibus mihi verbum. Secreta.

P. 118.  
**A**Cunctis nos, quæsumus Dómine, réatibus & periculis propitiátus absölue: quos tanti mystérij tríbuis esse consortes. Per Dóminum nostrum.

Altera Secreta, vel Prótege nos. vel O blátis, quæsumus fol. 137.

Communio. Ne tradíderis me Dómine in ánimas persequéntium me: quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, & mentita est iniquitas sibi. P. 118.

Postcommunio.

**D**Iuini múnneris largítate satiati, quæsumus Dómine Deus noster: vt huius semper participatione viuámus. Per Dóminum nostrum.

Altera Postcommunio, vel Quæsumus Dómine. vel Hæc nos. fol. 137.

Super populum. Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo. Oratio.

**T**Veátur, quæsumus Dómine, déxtera tua pòpulum deprecántem, & purificátum dignanter erúdiat: vt consolatione præsenti, ad futura bona proficiat. Per Dóminum nostrum.

DO-